CONTEMPLATIONES METAPHYSICÆ

Ex Naturâ Rerum & rectæ Rationis lumine deductæ;

Quibus universales Rerum Habitudines, & Respectus, atq; Dependentiæ monstrantur, & Notionum Communium, ex illorum conjunctione surgentium exhibetur spec[illegible]

Præfixa Præfatio quid sit Metaphysica, & quis ejus usus esse possit.

AUCTORE
GEORGIO RITSCHEL
BOHEMO.

OXONIÆ,
Impensis L. Lichfield Academiæ Typographi, & E. Forrest Jun. Bibliop.
Ann. Dom. 1648.

BIBLIOTHECA BODLEIANA

DYADI

PRÆSTANTISSIMORVM VIRORVM

Quos Egregii Publici amor & Zelus ad bonarum Rerum Artes promovendas Egregio Exemplo ſtimulat, & de Patriâ Optimè mereri facit.

Ampliſſimis, Generoſiſſimis

Dn° CHENÆO CULPEPER
Equiti Aurato.

Dn° NICOLAO STOUGHTONO
Armigero.

Faventiſſimis Patronis

Hoc perpetuæ Obſervantiæ
Monumentum ſtatuit

G. RITSCHEL.

DYADI

PRÆSTANTISSIMORUM VIRORUM

Quos Egregii Publici amor & Zelus
ad bonum Rerum Artes promovendas
Egregio Exemplo simulat, & de Patria
Optimè meriti Fecit.

Amplissimis, Generosissimis

Dn. Chenaco Cuperer
Equiti Aurato.

Dn. Nicolao Stuckenio
Armigero.

Laurentiano Patronis

Hoc quantumcunque Obsequii
Pignus cultum Gaudet

B. LECTORI S.

QVas tuo judicio Contemplationes Metaphysicas submitto, rogandus es, ne ad *abstractionum à materiâ*, ut loquuntur, *secundum rem & rationem per indifferentiam* promulgatas leges exigas, statuasq; , id solùm intra huius scientiæ pomœria accipiendum, quod salvis præcisionibus illis potest. Siquidem nondum evidenter demonstratum est, ad illarum præscripta cogitationes ita esse alligandas, ut sine crimine emotorum limitum, quibus scientiæ connectuntur inter se, atq; discernuntur, non liceat ultra provehi: quando ipsi illi, qui huius methodi severitatem quadam lege indixerunt, Eius non religiosissimi esse observatores deprehendantur. Non nulli n. de Materiâ atq; Forma, de Quantitate, de Loco, de Divinis decretis agentes in disputationes prolixissimas digrediuntur, & controversias Theologicas ac Physicas ad partes vocant: Alii, qui ab

illâ evagandi intemperie se abstinent, sensêrunt omnem necessitatem sibi imponi, ut res ad alias disciplinas pertinentes non in exempli tantùm vicem & illustrationis gratiâ afferrent: sed ut earum supplemento scientia Metaphysica perfecti operis formam atq; faciem acciperet. Hinc disciplinarum reliquarum objecta præcognoscenda aiunt, non justâ tractatione persequenda. Quod ita plerunq; fit, ut quibusdam ex spinosâ Theologiâ atq; Philosophiâ Naturali exemplis allatis, aut quorundam terminorum, quorum ibi usus valet, interpretatione traditâ, missis Scientiis Moralibus, quæ amplissimè per totam vitam humanam patent, amplè sui muneris partes se explevisse putent. Insedit nimirum quorundam animis, atq; altissimas radices posuit opinio, sterilem esse & jejunam Philosophiæ Moralis inspectionem; quid illud sit virtutis sive Μέσον sive Καθῆκον, quid Justitia sit, aut Fortitudo, quid sit Monarchia, quæ Jura Majestatis, levi operâ addisci, quorum animo accepta vocabula sistant contemplandi ardorem & sciendi dubitandiq; cupiditate prurientis animi æstum tanquam ad scopulos allisum evanescere faciant. Metaphysicam esse quæ de rebus altissimis & contemplationum jucundissimarum fœcundis tractaret. Vnde factum ut qui

studia

ſtudia ſuâ ad vitæ humanæ cultum atq; uſum converterunt, in illas ſe induere ſpinas horruerint; quia nihil, quod mentem ſolidâ cognitione impleret, nec quod ſuo inſerviret inſtituto, ſe ibi invenire exiſtimarent. Sanè *ſi Metaphyſica quædam ab reliquis ſecreta eſt ſcientia; ſi in illas ut Magiſtra in primo conſtituta gradu dominium exercet, & leges fert, atq; ſuis limitibus quamq; circumſcribit, neceſſe eſt, ut ſuâ amplitudine illarum latitudinem circumplectatur, atq; per connexionem à ſe dependere faciat; ſitq; reverâ illa σοφία κυριάτη ἐχουσα, è quâ tanquam è capite generaliſſima principia ad reliquas omnes per applicationem ſpecialem traducantur, ſpiritu vitali non quaſdam tantùm, ſed omnes irriguus. Sunt nimirum univerſaliſſimæ quædam conditiones & conceptus, rebus omnibus convenientes: ſunt generalia ex illis fluentia Axiomata & Notiones, quæ pro Rerum particularium conditione in omnibus diſciplinis & artibus, actionibuſq; obtinent: Hæc ego objectum Metaphyſices exiſtimo.* Si quis ex quorundam vocabulorum explicatione atq; agitatione incertarum curioſarumq; diſquiſitionum, quibus nec terminus ſtatui poteſt nec modus, diviniſſimæ hujus ſcientiæ dignitatem metitur, næ ego ipſam magis pro Reginâ haberem, atq; Sardanapalum illum Regem

inter

inter scortorum greges, dimissâ ex animo imperandi curâ, purpuram colo nentem & pensa inter virgines partientem. Suas illa sibi res agat, atq; propriis imperitet umbris in angulum abscondita & à conscientiâ publicâ consilia remota agitans, quibus in luce publicâ versari, & cum rebus tractare commercia animus est, ex ipsa Rerum indole vera cujusq; habitudo petenda, atq; agendi rationes accersendæ sunt. An Metaphysicæ genus sit Sapientia num Scientia; quæ per se ad ejus obiectum pertineant, quæ peraccidens; an Essentia differat ab Existentia: num veritas realiter an modaliter ab Ente differat: an Ens sit primum cognitum: an Hæcceitas reali Formalitate ab universali diversa sit: Suppositalitas num Res sit an Modus: Materia prima an propriam existentiam habeat: an duæ sint corporum unio. nes Materializatio & Formalizatio: An Deus sit in Prædicamento: an in Angelos competat numerus, & sexcentæ quæstiones aliæ, quæ utramq; paginam implent, ut tædiosissimâ prolixitate una in quatuor, quinq;, imo octo quaterniones excrescat, nullam in reliquis disciplinis usum habent. Vocabulorum a, quorundam interpretationem vel aliquis Summulista, ut vocantur, suscipere potest. neq; tantam huius disciplinæ dignitatem tuetur, qui omissis

illis

illis rerum communissimis respectibus, quibus implicatæ inter se sunt & contextæ, Axiomatum tantum quandam turbam congerit, & quòd totum maius suâ parte, causa sit prior effectu docet, atq; interdum mille instantiis obnoxia affert, quibus commodâ limitatione sanandis & ipse cruciatur & lectorum excruciat memoriam. Primas Rerum radices, earumq; nexus & juncturas atq; profluentium ex iis Axiomatum necessitatem ostendere debet, progrediq; ad particularia, & quomodo unum se alliget alteri monstrare, si tituli tam invidendi laudem tueri vult. Quæstiones, quarum mentionem feci, non dirigunt (hoc v. est illud Metaphysicæ decantatum in reliquas scientias imperium) mentem in Rerum contemplatione, sed involvunt & in vertiginem agunt, atq; à rebus ipsis longissimè abducunt. Quarum ut brevis & dilucida tradenda est explicatio, ita si quis potissimam eis in Metaphysicis contemplationibus impendit operam, non pluris eam æstimaverim, atq; illius, *qui grana ciceris* (Quintiliani verbis loquor) *ex spatio distante missa, in acum continuo & sine frustratione inserebat: quem cum spectasset Alexander, donasse dicitur ejusdem leguminis modio. quod quidem præmium fuit illo opere dignissimum.* Minutias n. sectari humilis est abjectiq; animi,

vel

vel ingenti præjudicio infatuati; mens generosa ea tantùm, unde solidum fructum capit, digna judicat, quibus impendat laborem. Prudentissimi scriptoris iudicio ego meum adiici. o calculum: ἐγὼ πὰ μὲν, dicentis, ἐκ πεειτ῀ παρεικόμενα πῖς ἐπιπόνευμαι χαειν πῆς ἐν ἐκάσοις ὀκνῶ σεως ϗ σωμυλίας πολύτε μᾶλλον ἀποδοκιμάζω παρατλησίως δὲ ϗ τὸ πορρωτέρω τ῀ ὡεὸς τὴν χρείαν αὐήκοντες ὀπιάτ῀αν πρὶ τὰ ἀναγκαῖα φιλοτιμώματος εἰμι ϗ σπεύδάζω Nimirum humanum ingenium inculcum est atq; rude ipsâq; sui asperitate horrens; cujus siquæ hinc inde emicant scintillulæ tetris circumsessæ tenebris in malignâ illâ obscuritate nihil rectè ostendunt: quin ligatæ sunt intelligendi vires, & quodam torpore correptæ, ut tardo atq; impedito motu se se promoveant. Sicut n. ex somno profundo emersus humorum abundantiâ suffusis oculis nihil rectè videt: ita mens intra æstuantis spiritus turbidos motus, neq; semetipsam intueri potest, nec rerum extrinsecus objectarum species excipere: Quare illa demum scientia salutarem ei medicinam fert, quæ caliginem discutit, partes luxatas in suum locum restituit, adhibitoq; cultu expolit atq; ad solidioris sapientiæ præcepta percipienda habilem atq; promptam reddit. Hanc Metaphysicam vocamus; *cujus proinde munus est in*

mente

mentæ universalia lineamenta signare, atq; quodam præparare prægustu, ut, quocunq; aciem convertit, tanquam ad prænota alludat, atq; in scientiis particularibus proprium cujusq; vultum hauriat. Ita n. per circumferentiam suam undiquaq; projectis lineis se facili conversione ad inferiora accommodabit, atq; ex sui ad universalia principia reflexione, ubi, & inter quæ versetur, quaq; cognatione unum alteri jungatur, observabit. Cum a. *duo sint rerum genera peculiaribus naturis distantissima, corpus nimirum, & immateriale Spiritus, utriusq; conditiones explicare debet.* Non ut ostendatur, quid sit Aurum, quæ ejus productio: sed ut in genere dicatur, quid sint Metalla, Plantæ, Animalia; quid generatio & corruptio; quæ principia illam corporum varietatem componentia. *Et cum plurima sint, quæ communi sermone rebus Materialibus applicata, aque in Immaterialibus reperiantur, nulla certè, præter hanc nostram, disciplina erit, ad quam generalior illorum contemplatio pertinaat.* Sunt corpora sensibilia, sed sunt & perceptibiles spiritus; & ut in illis vita atq; vigor, & Appetitus & Motus est: sic & in hisce. ut necesse sit generalem definitionem, quæ in omnia competat à Metaphysicâ proponi & subjectas subjungi species; quò mutua eorum convenientia & diserepantia

discrepantia appareat. Ita iustitiæ quidem atq; iuris & possessionis plena tractatio ad Philosophiam moralem spectat, sed fundamentum horum atq; prima origo altius repetenda, ab illa nimirum debitâ Rerum Rectitudine & Habilitate, quâ sese mutuo respiciunt, atq; communi unione tenentur; quorum tractatio propriè ad nostram disciplinam pertinet. Quod si effusius forsan Moralia hîc persequor veniam spero, hoc meum studium consequetur, ut qui ostendere exemplo voluerim, quàm necessarium sit eis, qui ea non obiter excolere volunt, hoc Ideale studium, præsertim cùm videam etiam ipsos, qui rigidæ methodi leges tulêre, prolixissimis suis evagationibus censores non adeo molestos expertos; nisi eos, qui Metaphysicam scientiarum numero eximunt, & cum Logica conjungunt: cui opinioni non satis dilucida obiecti Metaphysici atq; plena constitutio occasionem dedit. *Ferrean., ut puto, frontis sit, qui de Debitudine, de Rectitudine, de Officio & Finibus, de Proportione, Pondere atq; Dignitate, de Vtilitate, & Perfectione, de Ordine & respectibus, de Vnione atq; mutua Habitione, de Mutabilitate & Indigentiâ atq; Errabilitate aliisq;, ut sic dicam, realissimis Rerum conditionibus in Logica tractantem sustineat, disciplinâ instrumentariâ & tantùm modum*

dum

dum intelligendi circa illa monſtrante. Sed hoc nunc non ago, ſicut neq; illud ex profeſſo perſequi animus eſt, *quomodo, & quo fundamento diſciplinarum limites terminandi ſecernendiq;?* ſanè velimus nolimus, ſi noſtro profectui conſulere volumus, humanæ mentis capacitas atq; proceſſus imprimis ſunt conſideranda, non exacta tantùm & ad regulas exaſciata Rerum, ut in ſe ſunt, præciſio. Si n. Rerum plenitudinem exhaurire, ut Deus, uno conceptu poſſemus, non opus eſſet eam in tot conceptuum particulas ſegregare, & tot conſtituere diſciplinas, quæ illam contexturæ integritatem proponerent: quin à primo filio ducto initio continuâ ſucceſſionis gradatione univerſa Rerum facies unâ imagine repræſentari & quaſi includi poſſet. Nunc a. omnia intimis reſpectibus multiplici varietate inter ſe implicata & connexa ſunt: Nos uni tantum & ſimplici filo inſiſtere ac intendere oculos poſſumus. & quia reſpectus ſine utroq; termino cognoſci nequeunt, hinc hærendum ſubſiſtendumq; eſt in Rerum cognitione progreſſuris, & advocanda, quæ lucem fænerentur, alia, eaq; adhuc incognita, donec tandem per univerſum circulum circumactus animus ſingula cognitione complexus fuerit. Nam ignarus omnium cum ſe ſe ad ea applicat, neceſſe eſt, ut ab uno faciat initium,

initium, cujus habitudo cum fine comparatione ad ea, quæ ipsum circumstant cinguntq; cognosci nequeat, fieri non potest, ut ad cognitionem ejus acquirendam ignota illa non sint accersenda, atq; sic ignotum declarandum per ignotum, donec tandem singula integritatem rei constituentia in conspectum producta fuerint, ubi ex mutuâ comparatione intelliguntur. In rebus in sensus incurrentibus hoc manifestum est. Nam quid sit digitus, quod sit ejus officium, describi non potest, nisi mentione manus; neq; hujus accuratè tradi explicatio, nisi eam adjungas brachio; quod quid sit, non intelligitur, nisi quatenus corpori alligatum inspicitur. Sic si dicas oblectationem esse jucundum animi motum; quamvis eum in te ipso sensu percipias, in explicatione tamen ignotum per ignotum declaras. Oblectationis n. jucunditatem percipis, quia res movens tibi grata est. Hoc v. quid sit nondum patet; hinc progrederis inquirendo, quidnam illud sit, quod jucundum, gratum atq; acceptum dicitur? Nimirum quod tali te habitudine respicit, ut, cum movet, tuæ naturæ te convenienter moveat. Caloris n. impatiens refrigerari frigidusculâ aurâ vis, cujus afflatus ideo tibi gratus est, quia æstuantis ardore spiritus in nimiam tenuitatem fusi laborem conspissando &

debitam

debitam densitatem reducendo sanat: ingratius a. est stridor auribus, quia violenter perrumpit spiritum atq; lacerat, qui motu moveri facili amat. Ita ergo ab unâ parte fit progressus ad alteram ignotam, & rursus ad aliam, donec tandem omnibus, quæ cognitionem rei absolvunt, in medium adductis ex singulorum inter se comparatâ inspectione, quid singula sint, demum accuratè deprehendatur. *Quæ causa est, ut mihi persuadeam, talem quandam gradationem, quæ sumpto initio à primo ad ultima ita progrediatur, ut semel dicta nunquam repetenda amplius sint, humano ingenio neq; possibilem esse, & etsi esset possibilis, esse inutilem.* Nam cum illa, ut sic dicam, Rerum contextura tam variis plicis in se convolvatur, fieri non potest, cùm unum persegueris, quin incidas in alia atq; alia, quæ interrumpant cursum & aliò avertant: quod etsi nō fieret, nō tamen humanæ mentis imbecillitati consuleretur, quæ nisi per particularem applicationem rem difficulter assequitur. Vnde de re eadem dicere sæpius non dubitavi, quòd ejus cum pluribus intercedens respectus ostenderetur. Quare cum in cognitione Rerum ab uno necessario sit inciendum, ratio sana docet, ab initio esse ducendum initium, hoc est, ab illis quorum habitudo ex mutuâ comparatione facilè detegitur

atq;

atq; percipitur, & quæ reliquis in profundio caligine abstrusis præferunt facem. De rebu intelligibilibus, ut apparet, loquor; nam sen sibilia simplici perceptione se ingerunt, unu quovis propriâ habitudine spiritum pulsan & sui exhibente indicium. Quæ, ut percip antur, cum unum alterum non supponat, nih interest calor prius sentiatur an frigus, dulced an austeritas. Vt a. quid sit Officium, qui rectè, quid improbè factum intelligas, mu tùm juvaris, si quid sit Convenientia Rerum Debitudo quid Status, Dignitas, Destinatio nimo complexus fueris. Igitur *ut singularia percipiantur, suisve rectè atq; Ordine obverti tentiùs debent*, Sensibilia Sensibus, Intelligibil rationali Menti, & eo quidem ordine ac mod quem cognoscentis indoles poscit. Ita omn agenda, ut suum cuiq; tribuatur, *Oculi, Auri & reliqui Sensus suis objectis impleantur, Sp ritus Animalis inclinationes provocentur, at suscitentur Instinctus & aptitudines Mentu* Hisce gradibus qui non adscendit atq; unu connectit & alligat alteri, rectam cognoscen discendiq; viam non insistit, sed ignarus ca regitur, & incerto cursu jactatus per ambag demum, quadam fortunâ animadvertit, quo quærit. Nimirum ut sciatur quid sit album, c lidum, durum, sonus acutus & gravis, oculi au

manu

manus, & auris externis objectis adhiberi debent: quæ ſpiritum ſuâ habitudine percutiendo ejus vim provocant, ut ab harmonia ſonorum atq; colorum proportione jucundè ſe & blandè affici ſentiat; à nimio a, onere incumbente, vel calido dividente atq; tenuante, moleſtè. Hæc duplicis motus diſcretio, quorum alterum jucunditatem dicimus, alterum dolorem, ab ipſâ habitudine Spiritus exiſtit; quando impoſſibile ſit, ut non jucundè ſe moveri percipiat, cum ſuæ naturæ convenienter movetur, atq; corripiatur ſenſu moleſtiæ, cum contra ſuæ naturæ inclinationem torquetur, impellitur q;. Poſt hæc Mentis vis ſe exerit, ut unum judicet bonum, alterum malum, illud deſiderandum atq, amplectendum, hoc fugiendum & repellendum. Nam quamvis in beſtiis iidem perſecutionis & fugæ motus ſint, ex preſſa tamen &, ut ſic loquar, formata cogitatio de amplectendo & fugiendo non eſt in ipſis cogitatio, quâ dicant, aſſerant, cenſeãt, utiq; ſic eſſe faciendum. Hæc Mentis *diſcretrix facultas ex ipſâ ejus ſubſtantia emanat, atq; humanarum omnium eſt actionum principium.* Nam ſicut canis cibum convenientem & inconvenientem propriâ ſui ſpiritus habitudine diſcernit: ita Mens rationalis ad ſapientis creatoris imaginem facta ipſâ cogitatione perci-

pit

pit, quid sit Conveniens, quid Debitum, quid Inconveniens & Ineptum. Vnumquodvis n. suæ naturæ convenienter motum sentit se convenienter moveri, atq; ideo ad movens quodam nutu contendit: quare cùm Mens rationalis ad divinæ sapientiæ imaginem efficta sit, impossibile est, ut speciem Rectitudinis atq; Decentiæ habentia non ipso assensu approbet, atq; inconvenientia inter se conferendo Indecora & Inhabilia pronunciet; sicut Spiritus Animalis blandum calorem sibi esse convenientem apprehendit, & immane frigus incommodum. Hinc n. fit, ut corporum naturalium figuras considerantes eas suo muneri aptè factas esse ipso adsensu testemur, quasi hoc ipso modo, si creator nos in consiliũ adhibuisset, faciẽdas esse judicassemus; quod evidens est divinæ sapientiæ nobis impressæ testimonium. *Consistitq; illa approbandi & reprobandi vis in essentiali Mentis habitudine, ut sicut divina sapientia alicui Ideo, quia Rectum est, tanquam Recto annuit: sic & animus ex ipso rerum intuitu sive perceptione Recti aut indecori discrimine eas æstimet, velut lingua unum amarum dicit, alterum dulce.* Atq; hanc Æstimativam vim *Rationis Lumen sive instinctum* vocamus: quod non aliquibus per creationem inditis sive connatis speciebus intelligit & discernit: sed propriæ naturæ

turæ habitudine. Sicut n. ſpiritus viſivus nullo proportionati coloris lumine tinctus primo adſpectu illud tanquam conveniens ſibi amplectitur: ſicut infans neſciens an ſit mamma in mundo, aut an ipſe potentiam lactis attractivam habeat, quam primum admovetur, & lac percipit, & ſe eius attractivam habere potentiam ſentit: ita quam primum Mens in Obiectum debitè obverſum intenditur, eius habitudinem percipit, atq; innatâ diſcretrice vi dijudicat. Animadvertit ex propriis motibus ſe rationalem eſſe, atq; ad rationaliter agendum quodam obligationis Vinculo trahi, & abſtrahi à turpitudine, & quicquid inclinationi rectæ rationis repugnat: eoq; ipſo ſentit aliquod ſupremum eſſe Numen, cuius Regimini obnoxia eſt. Cuius cum ſubſtantiam huic corpori immerſi intuitu claro inſpicere non poſſimus, ſi *ſub numeri harmonici conceptu ſuâ luce ubiq; radiantis*, eam mihi repræſentem, à crimine me abſuturum puto. Nam & *Deus eſt lux plena, pura, infinitis radiis ſplendida*, quæ radiando ſemet videt ipſam, atq; totaliter complectitur, ut nihil in ipſo ſit, quod eius oculos effugiat, quando ipſe & totaliter ſine admixtione caliginis lux ſit, atq; illâ luce ſe intueatur. Indiviſibilis ergo illa lux in immenſitatem

incomprehensibilem fusa in illâ indivisibilitate se totam repræsentat, atq; repræsentando se uno actu totaliter complectitur. *Humana Mens eius imaginem gerit, quæ si rectè se atq; ordine haberet: si in corpore debito suis functionibus temperamento prædito consisteret, facili negotio, quocunq; intenderetur, innato lumine cuncta apprehenderet; ut, sicut nunc generales agendi modos pueri, nullo monstrante, per se ipsos inveniunt, dum in mensam adscensuri humiliora scabella applicant, & ne virgarum insuavitatem experiantur è matris oculis amovent: ita & tunc, si cogitatio ædificandæ navis aut extruendi ædificii subiisset, sine difficultate & formam & agendi modum atq; media ipsâ cogitatione animadvertisset; sicut nunc artifices operis novi rationes facile inveniunt; quemadmodum id in Adamo convenientia Animalibus nomina imponente apparuit.* Nunc a. & ipsa à divino lumine, cuius perenni radiorũ affluxu, sicut è terræ succo arbor, nutriebatur deflexa in tenebras sese condidit, marcore & tabe contractâ atq; præterea corporis instrumentis ineptissimis utitur; ut inter illas tenebras atq; tempestuosas turbulenti spiritus jactationes neq; se ipsam neq; extra se posita facilè apprehendere queat. Et quia tamen rationalis esse non desiit, quando ipsa sibi ipsi, quid agat, & quo ordine

atq;

atq; processu diligenti observatione attendit, colligitur rursum, & quasi reducitur in aliquod debiti status & ponderis æquilibrium, ut innato nutu ad res dijudicandas feratur. Et externa illa quidem, nisi ei ingerantur, nihil percipit, quia ex propriæ habitudinis intuitu sit ne sonus, aut color, aut pinguedo vel sal, & quæ singulorum proprietates, haurire non potest. Quare ut cognitionem illorum habeat per externos sensus ei offerenda est. ab hisce q. pulsata atq; excitata sese suscitat ipsam, ut, dum circa illa occupatur, proprio sensu observet, quæ & qualis ipsa sit: quibus polleat viribus: quo inclinet: atq; omnes illas habitudines, quas hoc libro proponimus, secum expendat. Ex quo apparet *in quo docendi discendiq; methodus & ars consistat*; Nimirum *cum*, ut dixi, *sensus externi suis replentur objectis, horumq; habitudine Spiritus Animalis inclinationes provocantur, atq; suscitantur Mentis instinctus & aptitudines.* Quæ objici sensibus possunt, quantum fert ætas, diligenter sunt proponenda, revocandusq; ad se ipsum animus, ut ex proprii observatione motus animadvertat, quomodo se se habeat, & quas in se inclinationes & impetus percipiat, atq; tandem subinde sunt inculcanda principia, quæ Mens Rationalis statim, atq; proposita sunt, assensu amplectitur, atq; ad rem præsen-

tem applicanda. Et ſi n. in pueris apprehenſiq ſenſuum & memoriæ Vis maximè valeat, non tamen committendum eſt, ut Mentis cultus negligatur. quin iſtis naturâ notis notionibus vagabunda illa atq; laſciviens ipſorum lubricitas tanquam iniectis compedibus, cum adhuc teneri ſunt, conſtringenda & reducenda in ſtatum eſt, ut, quemadmodum ſaccharum expetunt, quia ſibi bonum eſſe dicunt, ita & diſcant non tantum quòd totum ſit maius ſua parte: quòd melius ſit habere duo poma quàm unum: ſed & quòd omne bonum ſit amplectendum: quòd id ſit bonum, quod iubet creator: quòd nihil aliquam turpitudinis ſpeciem habens admittendum ſit: quod illud turpe ſit à quo perpetrando internâ quadam conſcientiæ trepidatione avocantur. Vt de magis theoreticis illis non dicam à quibus in recte percipiendis ſenſualibus, & memoriæ mandandis atq; internis motibus diſcernendis magnoperè iuvantur. Nam hæc omnia, cum puerili ingenio accommodatè proponuntur, tam facili aſſenſu accipiuntur, ac quòd ſaccharum ſit dulce, quòd caput oculo maius & gravius ſit. *Eſtq; docere nihil aliud, quam obiectum ſive Rem diſcendam rectè proponere, & diſcentem debitè ad eam convertere.* Tantum eruditi præceptoris efficere dexteritas poteſt, reliqua diſcipuli viribus

&

& aptitudini, atq; divinæ benedictioni permittenda sunt. *Non auriga trahit currum, sed iunctos in via dirigit equos, atq; cursum moderatur: Ita Magister Sensus, Instinctus, Mentem Rebus obiectis applicare debet, & incompositos motus in ordinem cogere, atq; subinde ad se ipsos revocare, an videant, audiant, odorentur: quos in se amoris, odij, tristitiæ, gaudii motus sentiant; an propriâ observatione percipiant rem ita esse, ut alii dicunt; num indicio ipsorum congruat nec ne?* Nemo saltare, scribere, aut ullam corpore tractare artem discit, nisi ipso opere suos motus ad præscriptum Magistri componat: ita neq; eruditionem inbibit præceptoris, nisi ipse bibat. Quare præceptoris solùm est infundere, ut infusum applicetur, attractione opus est bibentis discipuli, qui mentis connixu se in rem intendat, animo agitet, volvatq; atq; æstimet. Quemadmodum ergo Cytharædus non tantùm Cytharam Discipuli oculis subjicit & partes singulas nomiat, atq; ludendo præit: sed, quod præcipuum est, ipsum discipulum admovet, brachia, manus, digitos inflectit, aberrantes motus in viam reducit: ita non satis est præceptorem doctè de re disseruisse: sed jam tempus est Disserendi, Disputandi, Examinendi, interpretandi, Scribendi partes discipulo tradere, ipsũ præeuntẽ monstrare viam

am, & reducere reflectentem, omniq; studio ut ipse discipulus stadium currat, non sedens tantùm currentem Magistrum videat, efficere. Nam *cum discipulus id facere potest, quod facit præceptor, evidens est, eum rem tenere atq; intelligere, ut præceptor tenet & intelligit.* discit a facere, quæ facit præceptor, si ipse eadem faciat. Quare ut quis fit sutor, cum calceos consuit: sic fit doctus doctè cogitando, loquendo, interrogando, interpretando, scribendo. Atq; *hæc est illa Socratis ars obstetricia, quâ naturales instinctus, quibus mentes propriâ fœcunditate gravidæ sunt, prolicere potuit.* Hinc ait: Πάσχω δ' ὦν οἱ ἐμοὶ συγγεγόνασι τῦτο παντὸν τῶν τικτόντων. ὠδῖνας γὰρ ἔχω ἀνηκέστους ἐμπεπλησμένη νύκτας τε καὶ ἡμέρας πολὺ μᾶλλον ἢ ἐκείνη. ταύτην δὲ τὴν ὠδῖνα ἐγείρειν τε καὶ ἀπαλλάττειν ἡ ἐμὴ τέχνη δύναται: ut ipse tandem Theætetus, cum quo disserebat, fateatur: ἄλλα μὲν πολλὰ ἄτοπα ἔχων ἐν ἑαυτῷ δοκεῖ σε εἰρηκέναι. τὰ δ' ὀρθὰ ἀποφαίνεσθαι, quam in me ipso habeo. Non quod, ut divinissimum illud Platonis ingenium cum Socrate existimat, *rerum cognitionem per Reminiscentiam suscitentur*, ἀνα, ut alibi loquitur, Ἐρωτώμενοι ὀρθῶς ἀφ' ἑαυτῶν καὶ παρ' οὐδενὸς μαθόντες, ἀναλαβόντες τὴν ἐπιστήμην ἐν ἑαυτοῖς. Πότερον οὖν οὐκ ἀναμιμνήσκονται; *Nempe non reminiscuntur (hoc est pro ipsorum captu) interrogati, recte ad interrogata respondent, quia prius rem*

tenuere

tenuêre: sed quia talis est humanæ mentis aptitudo, ut, si rectè rebus intra suam sphæram comprehensis obvertatur, internâ facultate apprehendat discernatq;. An in maternâ mammâ sit lac, infans pede aut humero admoto non advertit; admove os & odore percipiet, antequam sugit, in eis sibi conveniens nutrimentum esse. Hinc abhorret recens editus à materno, ut poteam fœtido & impuro, alienum a. lubens fugit; atq; ingestâ in os verrucâ nondum sciens an attrahere possit, odore; vel quocunq; sensu, provocatus spiritus eò cum impetu connititur, atq; trahendo se trahere posse sentit. Ita pueri ignorant an scindere cultro, an saltare, an cantare possint; ipso a. actuum illorum adspectu commoti in se animadvertunt talem facultatem, quâ idem efficere apti sunt: Ad eundem modum si eis de justitiâ secundum Arithmeticam & Geometricam proportionem administrandâ loquaris, eorum nihil intelligunt; sicut neq; infans percipit panem bis coctum alimentum esse, ei licet in os ingeras; quod si v. exemplo facili declares, ultrò apprehendunt, & quid illud sit justitiæ debitum innatâ facultate dijudicant. unde non immeritò *Cato puer exequebatur quidem quæ jussit Pædagogus ἀπαιδ* (ut Plutarchus habet) *τὸν λόγον ἀπῖτει τὸ προσδιδασκειν εαυτὸν* man-

mandati expoſcebat. Verum eſt, *Diſcentem oportet credere:* nam & ſupra demonſtratum eſt, rei claram cognitionem non niſi ex ſingulis partibus invicem poſitis ſurgere; quare ſucceſſivè progredienti tamdiu cohibendus impetus eſt, donec omnia in conſpectum allata fuerint, ut re ipſâ deprehendat, rem ita ſe habere. Ambſtelodamum Londini exiſtenti monſtrare non poſſum, niſi mihi adhibere fidem velit, & eò tendenti itineris ſe adjungere ſocium. alias nunquam viſurus eſt. Interim *ab rectâ abhorrentia ratione, ut diſcipulus clauſis oculis ſimplici fide à Magiſtri narratione pendeat, atq; illud eſſe nigrum, hoc candidum, aut cæruleum, quia ipſe dixit, ſine proprii ſenſûs experimento credat.* Crudeliſſima eſt & inſaniſſima tyrannis, cùm quis alios, ut à ſe dictis adſurgant, cogere vult, nullâ dictorum evidentiâ allatâ. Nimirum *in Rationalis culturâ Mentis ita progrediendum eſt, ut ipſo progreſſu ſentiat te progredi, atq; ex illius compedibus, quibus judicia noſtra conſtringuntur, exſolvi.* Non n. multas res animo comprehendiſſe, & ſine intelligentiâ aliorum ſententias tenere, atq; quibuſdam vocabulis eloqui poſſe, virum doctum faciunt; ſicut neq; eſt aſinus dives cùm aureas clitellas portat: ſed ſi ea judicio probè digeſſerit, ſingula diſcretricis facultatis vi ſuis notaverit

verit notis, ut non tantum de cujusq; in genere statuere pretio sit aptus & quantum valeat, sed & ad quid valeat, & quomodo rectè atq; ordine ad aliud accommodandum sit, intelligat. Quare *quæcunq; externis Sensibus hauriuntur, quæcunq; proprio motu animadvertuntur, tam in Animali Spiritu, quàm Rationali Mente, ad hanc stateram exigenda sunt, anrectam veramq; habitudinem cujusq; apprehenderimus, & quibus usibus tam in agendo, quam cogitando adhiberi singula possint.* Cui quidem rei, nisi planè fallor, insigniter Metaphysica conducit. Nam cum hæc generales Rerum & communissimas conditiones & contexturas proponat, quas Mens in se ipsâ vario externarum rerum sensu exercitata percipit, atq; ex unius cum altero comparatione colligit, fieri non potest, ut illarum notitiam complexa in universam Rerum latitudinem extensa & dilatata & in suum statum collecta, jam quodam nutu non inclinet ad ea, quorum generali cognitione tacta est. Sicut n. pictores antequam colorum lumina addunt, fundamentales prius lineas ponunt: ita multo magis universalia illa principia præcipienda sunt, ut quæ non tantùm totius habitudinem ὡς ἐν τύπῳ repræsentant: sed & viam monstrant, quâ in reliquorum notitiam perducimur. Quod tamen

nemo

nemo eò rapiat, *ac si eam pueris discendam proponerem.* Nam sicut spiritus Animalis instinctus non animadvertitur nisi ab externo objecto vel quocunq; motu provocatus, ita neq; quid possit, ipsa novit Mens, nisi variis sensuum motibus excitata. Nam per horum multiplicem exagitationem demum deprehendit se rationalem esse, atq; posse rationaliter cogitare, & illas ex abscondito eruere conditiones, quas tam in se ipsâ, quàm aliis animadvertit, ut jam plura in rebus videat, quàm à sensibus ostendantur. Quare puerorum animos multiplici exemplorum atq; rerum sensibilium congerie prius implendos dico, ad quorum cognitionem rectè hauriendam (quæ opinio tantum esse potest, non Scientia) sufficit, si notiones communes sparsim, ut suprà dixi, & per occasionem applicentur. Subtilem illam contextuam atq; mutuam Rerum dependentiam non capiunt; quemadmodum bellicæ navis structuram, vel rei artificialis cujuscunq; animo non satis valet concipere, ut ut legat scripta, aut narrantes audiat, priusquam coram intueri & ingredi fas est. Iam v. illa communissimarum conditionum Metaphysica structura ex comparatione particularium exstruitur; quare hæc primò collocari in animo debent, ut novâ occupatione mens ea in ordinem redigere sui-

isq;

iſq; adſtringere vinculis proprio conatu incipiat. Siquidem in eo docendi artem conſiſtere dixi, ut intellectus rectè atq; ordine Rebus applicetur. Non poteſt a. applicari, niſi eas præſentes habeat: non poteſt earum ſtructuram aggredi, niſi in cumulum congeſtas jam tractare detur & diſponere. *Qui omiſſa particularium Rerum & Actuum inſpectione diſcipulum ad Ideales contemplationes traducit, caſſum & inanem verborum ſonum auribus infundit, quorum directioni ipſe ſe accommodare nequit, quando nondum paratam habeat materiam, in quam ſe intendat & vires experiatur.* Vnde fit ut de Genere, de cauſis per ſe & per accidens, de Materiâ primâ, de juſtitia univerſali, de Virtutis medio, & Monarchia melior ſit an Democratia, diſſerentem præceptorem non magis aſſequantur, atq; canis in aere inſequitur & capit avem, ubi ponere gradus nequit. Interim pſittacorum more eadem reddere vocabula diſcunt. *Diſcant prius veſtigia pedum firmare, quàm ſaltare diſcant; prius diſcant loqui, quam cauere; quando Rerum atq; Actuum propriones exprimere impoſſibile ſit, niſi res ipſas atq; actus prius teneant.* Inflant illi univerſales conceptus ſingularium cognitione vacuum animum, atq; inaniſſimarum cogitationum idolis replent, ut ſolido robore,

ſuoq;

ſuoq; pondere nixum ſe ſtare ſibi perſuadeat atq; Rerum communiter obviarum, è quibus ſolis ſolidum prudentiæ atq; eruditionis robur colligitur, inſpectionem longè Infraſe ducat. Nam de Materiæ primæ, qualis in Mundo non datur, exiſtentiâ; de ejus appetitu: de Privatione formæ jam jam introducendæ: de intrinſeca Rerum Inceptione per primum ſui eſse: de extrinſecâ per ultimum ſui non eſse, de intrinſecâ Rerum Deſitione per ultimum ſui eſse; de extrinſecâ, per primum ſui noneſſe, qui diſputare in utramq; partem didicit Adoleſcens, annon ut hominem ſordidum ridebit, quem in opificum officinis hærentem videt, & quædam manibus tractantem, aliâ admoventem naribus, nonnulla linguâ tentantem? Singularizata non eſſe objectum intellectus dicet, & cuivis ruſtico obverſari: univerſalizata eſſe illud mentis pabulum, quæ ſupra plebeium conceptum poſita doctum ab indocto, eruditum politumq; ab idiota dividant. Atq; hæc cauſa eſt, quod exemplorum mole, quibus Axiomata communia declarantur, noluerim eſſe gravis. Poterit quiſq; à ſe ipſo petere & ad ea exigere Enuntiatorum veritatem, quod niſi fecerit, fieri quidem poteſt, ut generalem quendam conceptum animo formet, ſed ſterilem illum, è quo neq; in

agendo

agendo neq; cogitando ullum fructum capiet. Quare *illud exercitium Metaphysicum vel maximè probaverim, quod generales notiones ad particulares applicat, ut multiplici exemplorum varietate ingenium in suam, ut sic dicam, amplitudinem dilatetur atq; reddatur habile, quò facili motu ad omnia se convertere & fulminis ad instar transire per universam spheram adsuescat, similia similibus illustrando atq; dissimilibus: quod fieri nequit nisi ab eo, qui Rerum variarum cognitione animum tinctum habet.* Dicis, qui rei illicitæ dat operam, tenetur ad omnia, quæ ex illo actu sequuntur. Quæro, si quis furto ablato equo pontem transiret, sub quo latere hominem, nullâ probabili conjecturâ prævidere debuit, an, si trabe forte dejectâ occideretur, transiens homicidij reus esset? Dices, innocentem non esse occidendum; quæro an Prægnans in discrimen vitæ adducta possit cum periculo abortionis purgantem medicinam assumere; An si hostis insequitur, liceat currum per iacentis amici corpus agere, quem evasurum per circumstãtias probabile non est; vel si tibi in regione Barbarâ ab iniusto invasore sit fugiendum, an, ut te eripias, liceat alieno equo uti, cuius restituendi nullum medium vides, cum nec dominum noscas, & equum longiùs tecum abducas? An in naufragio uxor

potius

potius, num parens, vel filius liberandus? Nam huiusmodi ut loquuntur, casibus atq; ex historiâ petitis exemplis, qui ingenium suum non exacuit, atq; rebus rectè agendis præparat, quorsum Philosophiæ Morali impendendo operam præ homine, qui vario Rerum usu agendi sibi dexteritatem comparavit, velit doctior videri, quia quibusdam Latinarum Græcarumq; dictionum haustibus ebrius est, ego quidem causam nullam video. Nam ut ipsius cogitationes circa generalium Idearum umbras volitant, quæ solido corporum robore destitutæ suis se movere & ad res ipsas tractandas applicare membris nequeunt; quinimo fallaci plerumq; imagine deludunt oculos, ut quæ non ex rerum adspectu expressa, sed ex propriâ cogitationis inventione formata est: ita in illo rei vultus propriis coloribus expressus est, qui spiritu animatus viget, atq; indito robore se ad res agendas interno nutu convertit. Malo ego cultrum rudem, sed cibis scindendis aptum habere, quàm elegantissimis lineis in tabellâ depictum, cujus usus oblectandis tantùm oculis inservit. Nam *picta illa in Mente Idola, ut Pupæ puellis, ludendi, atq; novas formandi familias, Civitates, Regna, Mundos occasionem & materiam dant: quæ ad rem ipsam traducta tantùm abesse à veritate deprehenduntur, quantùm*

simia

similia ab homine; quo fit, ut quasi in illis formalitatibus vitam contriverint, rerum maxime obviarum causas reddere nequeant, & de humanis actibus absurdè & perversè judicent, vel rebus dubiis sententiam rogati, se ab omni doctrinâ vacuos ostendant. Rerum ergo indoles ab ipsis discenda Rebus est, atq; assuefaciendus animus ut perpetuâ ab uno ad aliud translatione, quæ sit Rerum inter se cognatio, quæ dissimilitudo, quis universalis Notionis in cognoscendis rebus usus, addiscat. Nam quo universaliora sunt principia, eo ad plura aperienda eruendaq; utiliora sunt, qui ipsi nobis fructus petitur; quia omisso seriæ meditationis studio, illa tantùm sterili contemplatione intuemur, quemadmodum intuemur pictum culicem. *Nihilum legere plura, quam discere, plura scribere & loqui, quam meditari: volumus, quo fit, ut amoverfalia illa prorsùm sterilia sint.* Nam quod non parturit, non parit atq; pro infœcundo habetur. Meditando at res discutere, exagitare, atq; in omnes versare partes, parturire est; quod qui omittit, ut solidæ eruditionis fructu se fraudat, ita non mirum est si illorum nullum usum percipiat, quorum usus in meditationis applicatione consistit. Quàm bene ageretur cum eruditione atq; studijs si Philopæmenis insistere vestigijs placeret; *quindè iter quoddam*

* * *

faceret

facèret, & ad difficiliorem transitu saltum venisset, contemplatus ab omni parte loci naturam, quum solus erat, secum ipse agitabat animo: quum comites haberet, ab iis quærebat: si hostis eo loco apparuisset, quid si à fronte, quid si à latere hoc, aut illo, quid si à tergo adoriretur capiendum consilii esset. His curis (subijcit Historicus) *cogitationibusq; ita ab ineunte ætate animum agitaverat, ut nulla ei nova in tali re cogitatio esset.* Sed de hisce fusius, ubi de Processu Mentis atq; Intelligendi Modo, si Deus voluerit, agetur. Hæc ad usum Metaphysices clarius demonstrandum huc afferenda erant. Cujus scheleton tuis L. B. nunc subijcere oculis atq; judicio audeo. *Omnibus partibus integrum, multo minus plenâ absolutum elaboratione illud haberi nequaquam velo.* Dies docebit diem, & assidua circa particularia meditatio aperiet pleniora. Perfectam ideam terminis quibusdam generalibus, quorum vim ipse fortàn nondum satis intelligat, præscribere è mediis subsellijs sophus potest: at opere ipso præscriptam qui exprimit, eum inter primos pono, qui per singulas Rerum particularium classes peragrando ad ipsa usq; fastigia, ubi illæ ideæ consistunt, evasit. Cæteri eminùs spectant Musarum vultus, vel quasdam tantum partes coràm intuentur, atq; illos solum colores & linearum

nearum ductus penicillo repræsentare valent, quos suis sensibus usurpaverunt. reliqua vocabulo innuunt, sicut Geographi partes Australes ostendunt, quas ipsi non viderunt. Nondum invenerunt suum τέλειον ἀνδρὰ Stoici, nec Oratorem Rhetores. Citrà terminum cuncti consistimus, & licet vota in longissimum projiciamus, cum ad fatalem lineam, quæ activitatis Sphæram terminat, venitur, continendus gradus est. Multùm de humano genere merentur, qui illud *Plus Ultrà* suis operibus adscribunt, atq; defatigati laboribus viam vegetioribus è longinquo ostendunt. Non rectè æstimant divinæ sapientiæ dispensationem, qui eos parum egisse putant. An bellorum duces nihil agunt, nisi cum militum munia exequuntur? Prævit exemplo summæ Eruditionis & Dignitatis vir *Illustrissimus Verulamius*, qui erudito ori, quid ignoraret, monstrare non potuisset, nisi eruditissimus fuisset, Rerumq; scientissimus. Cujus de Augmentis Scientiarum librum cùm intueor *Incomparabilis viri Cl. Salmasii* in Philophiam stoicam verba mihi occurrunt: *si quis præ se ferat, dicentis,* (Præf. ad Epictet.) *ac prædicet, cum ingenti voluptate doctrinam eorum se nocturnâ diurnaq; manu versavisse, eo ipso ostendit, nunquam cum fructu à se esse contrectatam. Cum dolore atq; animi morsu*

potius quam cum voluptatis sensu tractari vnà disciplina stoica. proficere quippe in eâ volenti finis lectionis is esse debet, non ut titilletur, sed ut emendetur. Si egregii publici studiosissimus Vir illos humanæ scientiæ defectus nobis ob oculos ponere voluisset, ut quam longè reliquorum hominum sortem ipse supergressus esset, ostenderet, posiemus tantam iudicii & doctrinæ vim debito admirationis cultu prosequentes titillantis voluptatis ex lectione fructum capere; Nunc cum excutere in somnum demersis torporem conetur, atq; ad laborum contentionem tam severus pensorum exactor omni studio adhortetur, conscientiâ tam pudendæ ignorantiæ & ad ferendam laboris improbi duritiem mollitudinis, non possum non animo tristari, qui non ignoro, animos nostros tum demum in rectum statum restitutos esse, quando & à vitiorum labe purgati sunt, & ab ignorantiæ turpitudine liberati. Ego sanè libenter me inter τὸς ὀρθοπλάτους profiteor ingentes ei gratias acturus relaturusq; qui erranti comiter viam monstraverit. Sunt *in præsenti opusculo quæ nec mihi sic collocata placent, pluraq; occurrerunt hanc ipsam præfationem meditanti, ut quæsi Rationis instinctu aliquid deesse vel suo non esse posita loco videatur. verum facilius est notare defectus, quam supplere.* Quod si

Deus

Deus vires atq; occasionem concesserit, quæ nunc consultò omisi adjecturus sum, atq; si sic videbitur, Auctorum testimoniis & exemplis illustraturus, & Capitibus singulis suas Summas præfixurus, & plenum suffixurus Indicem. Si quæ *de Animalis Spiritus atq; Rationalis Mentis Instinctibus, Cognitionibus, Appetitionibus, Affectibus molior, atq; ex hisce universa Philosophia Moralis fluentia fundamenta in* ordinem redacta haberem, facilè appareret, quæ ad Metaphysicam alia referenda essent, quæ resecanda. Prima hæc Editio sua fata experiatur, ut cognoscam quatenus harum contemplationum fœtus, ut cum Socrate apud Platonem loquar, sit εἴδωλον ἀληθοῦς, καὶ ἔντιμον, καὶ ἄξιον ζωῆς, quatenus ψευδὴς καὶ ἀνεπιτήδειος. Verum quidem est, quod Cicero ait: *Philosophia paucis judicibus contenta est*; quia pauci sunt, quos discretrice judicii facultate natura donat; pauciores, qui eam multo seriarum contemplationum usu excolunt. ut n. cæcus de coloribus: sic nec videns de pulchritudine & venustate, nec audiens de sonorum harmoniâ judicare aptus est, nisi judicium suum in proportionibus Rerum atq; sonorum harmoniis accuratâ comparatione inter se contentis exercuerit. Quia tamen quæ hîc dicuntur, pleraq; ex ipso rationis instinctu deducuntur,

an

an tale quid apud se parturiat vel peperit observare cuivis in proclivi erit. Fieri potest ut

——— fungar vice cotis, acutum

Reddere quæ ferrum valet, exsors ipsa secandi.

Quod si quid Tibi primo adspectu non statim arriserit, non essem auctor, ut statim atro calculo signares. Fieri potest, ut ex oculis tuis nondum humores exterseris: fieri potest, ut crassiora quidem lineamenta videas, nondum observes subtiliores ductus. Nam sicut qui noctu candelæ beneficio rem intuetur, cum ad lumen eam solis admovet multa observationem suam effugisse animadvertit: sic rationis lumen eandem rem sæpius agitando atq; cum aliis contendendo crescit atq; ejus speciem profert illustriorem. Imprimis a. summo studio in id incumbendum esse cogitandum est, ut objectis Analogæ facultates applicentur; ne sonorum perceptiones linguâ: oblectationum corporalium jucunditates mente: atq; actionum honestatem, vel turpitudinem spiritus animalis facultate dijudicandas putes. Qui Scopuli, quemadmodum evitandi sint, libri de veritate & causis errorum Baronis Herberti docent. Qui, cum stylo arido atq; jejuno laudari abnuant, nollem equidem illustrissimo Auctori hanc injuriam facere, ut admirabile illud profundissimarum cogitationum

num opus oratione ſuperficiariâ proſequeretur. Quæ momenta trahat, quiſq; diligenti ſæpiuſq; repetitâ lectione proprio ſenſu experietur. Ei v. qui ſe à facultate harum Rerum dijudicatrice deſtitutum ſentit, auctor fuerim, ut cupiditatem ab hiſce ſtudiis in totum abſtineat, à quibus in vertiginem agitur, non confirmatur roboraturq; ad cogitandi prudentiam. Recte n. accuratiſſimus ingeniorum æſtimator HUARTUS ait: *Socrates habuit Matrem obſtetricem publicam, quæ licet dexterrimè artem ſuam facilitans nunquam tamen efficere potuit, ut mulier pareret, niſi præexiſtens prægnans: ità & ipſe (Socrates) idem veluti matris ſuæ obiens munus, omni ſuâ, quâ pollebat, induſtriâ & dexteritate nunquam tantum conferre vel uni diſcipulorum potuit, ut ſcientiam (ſi ita loquî licet) pareret, niſi eâ intellectum ejus atq; animum prius natura ipſa quaſi impregnaſſet.* Bene vale Benevole Lector, atq; ſi placet, & tuâ operâ id dignum judicas, amicè mecum de hiſce Rebus confer. Dabam Oxoniæ Anglorum Anno 1647.

SYLLABVS

SYLLABVS CAPITVM totius operis formam sub uno adspectu exhibens.

DEVS est omnis Realitatis fons, à quo quicquid præter ipsum est, suam essentiam habet, qui cum nihil faciat, nisi quod potest, facere nec, posset facere quicquam, nisi quod sapienter potest fieri; hinc infinita ipsius potentia omnes Rerum agendarum λόγους sive Ideas repræsentat, secundum quas Sapientia eius præsuli arbitrii libertate omnia produxit, atq; adcertos fines, pro eorum conditione, destinavit direxitq; Nam Aptitudo Rerum sive Convenientia & Habilitas, quam una habet ad alteram, in ipsa Idearum inter se habitudine fundatur, quod a. Leo, Equus, Quercus tali præcisè forma sunt, ab eius sapientissima Voluntate est. C. 1.

2. Iste, cum Sapiens sit, nihil frustra fecit; quare omnia suum finem habent, atq; ita condita sunt, ut eum possint assequi. Ex quo

ultrò

ultrò sequitur Naturas Rerum, Officia, atq; Debitudines ex ipsius destinatione esse æstimandas: atq; cuiusq; rei talem esse Naturam & Essentiam, quia Creator ex finis, cui eam paravit, intuitu, talia ei tribuit, quæ illi fini assequendo apta sunt & requisita. Est ergo Natura rei qua potest agere id, cui agendo destinata est. C. 2.

3. Hoc Ens Rerum quatenus in se est, & quatenus respicit aliud, & quatenus ipso actu est coniunctum alii, cum omnibus suis habitudinibus & indè fluentibus respectibus hic consideramus, atq; ex eorum consideratione nascentia Axiomata proponimus, ut appareat, omnia intimis respectibus inter se contexta esse, quæ in unoquovis reperiantur: atq; hoc obiectum Metaphysicæ dicimus; quia omnes conditiones universales, quæ in nullam particularem disciplinam includi possunt, suâ amplitudine complectitur. Declaratio n. τ̃ esse Rerum tam secundum se, quam quoad respectum sibi aliunde advenientes ad eam tantùm pertinet disciplinam, quæ conditiones generalissimas, in omnibus occurrentes, persequitur.

4. Quia a contraria juxta se posita magis elucescunt, hinc quid sit non ens sive Nihil explicandum fuit. C. 3.

5. Et quidem cum Ens Rerum secundum se, uti est, considero, tres eius Proprietates occurrunt

runt Unitas, Veritas, Bonitas. *Unum* n. est, *quia est* Hoc, *Uni Ideæ respondens, & ad hunc destinatum finem: est* q. *Verum, quia Ideæ congruit: eo* q. *ipso Bonum, quia destinatum finem obtinere est aptum.* C. 4.

6. *Quia vero plures Rerum sunt Ideæ at* q. *Fines; hinc etiam est Rerum* Multitudo, *non per omnia similis, sed variis diversarum Naturarum vultibus discreta: & tamen ordinata, quia ab summa est unitate ordinante: eo* q. *ipso communissimis respectibus in illa diversitate similitudinem inferens: tum quia ab uno Deo est, qui sibi ubiq. est similis: tum quia ex communissimis principiis emergit. at* q. *hic de Genere, de Specie, de Universali & Particulari agimus.* C. 5.

7. *Nondum a, exhausimus quicquid in τῷ* Esse *Rei, secundum se, considerari potest. Nam est & conceptus* Substantiæ, *quo illa cujus* q. *natura, ut sic dicam, compages stare cogitatur; & illa ipsa substantia pro sua habitudine est Talis vel Talis; at* q. *suo est (nam sapienter est facta) adæquata fini.* Substantia *quid sit Materialitas & Immaterialitas exponit:* Qualitas *cujus* q. *vultum, uti est, adspiciendum declarat:* Quantitas *Rerum Magnitudines, Parvitates, Præstantias, Vilitates, Dignitates & Valores persequitur.* C. 6. C. 7. C. 8.

8;

8. *Atq; hac consideratione τὸ Esse secundum se, absolvere videntur: quatenus consideratur in ordine ad aliud conceptus* Communicabilitatis *emergit. Est n. hæc Rerum multitudo non confusa, sed ordinata; est q; nihil sui causa, sed causa alterius; ita quidem ut omnia hoc totum universum tanquam partes efficiant. Quare necesse est, ut unum Communicabile sit alteri. In Communicabilitate a. tria considero* Sociabilitatem, Activitatem, Patibilitatem. C. 9.

9. *In* Sociabilitate *considero Rerum* Essentialitatem *&* Accidentalitatem. *nam quia res in suo complemento Variis conceptibus constat, qui Essentiales ei sint dicendi, qui Accidentales, inquiritur.* C. 10.

10. *In* Activitate *considero* Sensibilitatem *Rei, quâ unum percipi ab altero potest: atq; ejus deinde propono Varias conditiones & in potentiam* Naturalem, Spontaneam, liberam divido. C. 11. C. 12. C. 13.

11. *Sunt a. varia potentiarum habitudines ad objecta diversa atq; diversos actus inclinantium, & diverso quidem modo. Hinc de* Dispositionibus & Habitibus *agimus.* C. 14.

12. *Et ut conceptum Activæ potentiæ penitus exhauriamus, Rerum consideramus* Vigorem, Vitam, Fœcunditatem. *Activum n. suâ efficacitate Viget, & Vigore suo Vivit, atq; actu-*

um

um suarum Vitalium Fœcundum est. C. 15.

12. *Post hæc de* Patibilitate *tractamus.* C. 16.

14. Ex Activitate & Patibilitate respectus exsurgit Vtilitatis ; *quia cum nihil sibi sit, sed alterius pars, necesse est, ut, dum se communicat, ei sit Vtile.* C. 17.

15. *Accedit rem & quasi extrinsecus ambit* Localitas, *quia esse nihil potest, nisi in aliquo Vbi sit. Et cum nihil, ut statim desinat, sit conditum, ut aliquo tempore permaneat necesse est. atq; hoc* Durationem *dicimus.* C. 18. C. 19.

16. *Agmen claudit* Perfectionis *consideratio; nam cum omnia adsunt quæ Rei apta sunt, Perfecta est.* C. 20.

17. *Hactenus rem* Sigillatim *consideravimus sequitur nunc ut eam* Connunctam *aliis intueamur. Quod unitum est, est unibile: Nihil autem certo individuo tantùm unibile est, sed pluribus: ergo communis est eis omnibus, quia unibilis, quod cum jam unitum est, desinit esse Commune & fit Partiale. Ergo dum res ut in unum confluentes adspicimus respectum* Communitatis, Partis, Totius, *atq;* Vnionis Modum *cogitare debemus.* P. 2. C. 1.

18. *Cum pergimus & quid ex illâ compositione emergat advertimus, non potest non* Habitionis, Ordinis, Respectus *cogitatio occurrere.*

Nam

Nam quæ unita sunt se habent: quæ se habent, inter ea ordo est prioris & posterioris: & dum unum conversum est ad aliud, emergit respectus mutuarum habitudinum, quo unum alteri vel simile est vel dissimile. C. 2. C. 3. C. 4. C. 5.

19. *Quæ inter se iuncta se respiciunt,* vel qualemcunq; societatem constituunt, vel perfectam. *Illa huius quasi Materia est & præambulum, & inter* stabiliens & stabilitum, subiectum & Adiunctum, fundamentum & fundatum consistit. C. 6.

20. Perfecta societas *est inter plura finem aliquem communem procurantia; in quâ partium singularum* Ordo, Vires, Officia, Finis, Communio *attenditur.* C. 7.

21. *Iungimur n. Res in societatem ut Agens, quod Agit* Causa *dicitur: Cùm quatuor sunt genera, quia sunt quatuor diversi causandi modi; nim.* Finis, Efficiens, Materia, Forma. *Finis est causa inducens ad agendum.* C. 8.

22. *Ut a. recte atq; ordine ille procuretur finis,* agendi Regula, *sive Directio requiritur, quæ aberrationes prohibeat.* C. 9.

23. Efficiens *v.* Materia *atq;* Forma *Rem producens: prior extrinsecè efficiendo, posteriores constituendo intrinsecus.* C. 10. C. 11.

24. *Dehinc quæ sit ratio* Effectus *producti declaratur.* C. 12.

25.

25. *Cum a. Causa agendo causet, & effectum patiendo producatur, hinc de* Actionibus *atq;* Passionibus *& variis earum* Conditionibus *agitur &* Specificationibus. C. 13. C. 14. C. 15. C. 16. C. 17.

26. *Ex Consideratione a. Agentium atq; Patientium varia fluunt habitudines, propter quas varios edere vel recipere actus possunt. Nam quia res est passiva, ideo est* Mutabilis: *quia est pars, ideo alterius* Indiga *est: quia una est alteri contraria, hinc Hostilitas &* Pugnacitas *inter eas existit: quia una alterâ est fortior, hinc* Impedibilitas: *& quia res non habet omnes agendi vires, hinc est* Errabilitas: *& quia simile simili iungitur, & nihil habet omnia; hinc aptitudo ad iuvandum emergit & ad recipiendum* Auxilium: *& quia quæ impedire possunt, id non faciunt necessariò, hinc est* permissibilitas. *unde postrema Capita de* Mutatione, Indigentia, Pugna, Impedimentis, Errore, Auxilio, Permissione *agunt.* C. 18. C. 19. C. 20. C. 21. C. 22. C. 23. C. 24. C. 25.

27. *Hoc ergo* Esse *Rerum quatenus sigillatim secundum se consideratur, & in ordine ad aliud, cui quocunq; respectu junctum est, huius, ut dixi, disciplina obiectum est, in quo proinde omnes illæ ex eo fluentes conditiones declarari debent. quo consilio de illis Actionum speciebus*

hic

hîc agendum duxi, tum quia earum considerâtio generalis utiq; necessaria est, tum quia ad nullam particularem scientiam traduci possunt. Sicut n. Obiectum Physicæ est corpus Naturale, quatenus omnes proprietates & actus, qui in naturâ materiali occurrunt, in eâ exponuntur: ita Obiectum Metaphysicæ est Ens Rerum, quatenus in ipso considerantur communes illæ conditiones, quæ in Immaterialibus, Naturalibus, Artificialibus, Moralibus pro cuiusq; conditione occurrunt, sive sint Proprietates, sive Actiones aut Passiones.

28. Cæterum qui in universalium conceptuum propriâ formâ exprimendâ iisq; cum aliis sive cognatis sive peregrinis conferendis suam operam posuere, à propriis vocabulis, quæ convenienti & efficaci significatione rem repræsentent se destitui fatentur. Spero igitur me veniam consecuturum si, ut rotundius dicerem, contra receptam loquendi consuetudinem loqui ausus fuerim. Circumlocutiones n. illæ ut progressum Mentis in illa tenuia se inducentis tardant, ita conceptum tam exiles imagines ex oculis penè auferunt; eritq;, si in ullâ aliâ Disciplinâ rigidissimus puritatis censor hîc æquior facilior q;, quando de talibus hîc loquamur, quæ vulgarem loquendi usum plurimùm respuunt. Ut a. res clarius ob oculos poneretur plurima

vocabula

vocabula significatione convenientia concervavi, quod tamen sic facere studui, ut nova quædam significationis formalitas innueretur. Fallitur n. qui existimat me Vocum hîc præcipuam curam habuisse; Rerum habitudines, atq; fluxus & connexiones in animo perpetuo habui, quas nisi his vocibus exprimere non poteram. Ad iudicium a. confirmandum imprimis valet unius rei Varias habitudines diversis vocibus expressas comprehendisse. Quare ut Physica, cumquid sit Rarum, Densum, Aqua, Ignis per propria Vocabula realibus suis Definitionibus explicat, Lexicon Physicarum Vocum non conficinat, licet sæpè sine connexionis necessitate unum post alterum interpretetur: ita multò minus hæc Grammatica putanda sunt; quæ ipsis illis definitionibus realibus universalium conceptuum habitudinem eorumq; inter se respectus exhibent. Eruendis ex quovis dato termino communibus notionibus molestus esse nolui, quando illud facere cuivis in promptu est, qui simplices habitudines complexus est.

CONTEM-

CONTEMPLATIONUM METAPHYSICARUM.

PARTIS PRIMÆ.

CAPUT PRIMUM.

De Ideis.

1. NEMO est, qui ad se conversus *Quid Agat Quare & Quomodo* diligentiori oculo attendit, in se non duas facultates *Cognoscentem & Appetentem* evidenti sensu animadvertat: ita quidem, ut naturali nutu *Potentia cognoscens* ad res contemplandas feratur, earum habitudines verset, & quæ apta sunt, quæ inepta & indecentia internâ quadam mensurandi facultate expendat, & rei cuiq; suum pondus statuat: *Appetitus* a. ad sibi convenientia ipso pondere inclinetur atq; se avertat ab incommodis.

2. Quos actus se exprimere cumquivis

proprio sunsu percipiat, ipsius simul conscientiæ instinctu agnoscit, *Rationis munus esse, volentem rationaliter cogitare; & voluntatis, Rationaliter velle*; quemadmodum munus essentiale ignis est, ut sic dicam, ignire; aquæ, aquare. Rationaliter a. cogitare & velle est, Cogitare, Appetere, Agere quæ rei rationalis statum decent: decent, quæ decentium ab indecoris discretricis facultatis æstimio statui rationali convenire censentur.

3. Censentur a. alia convenire, alia abhorrere â sanitate rationis, quia sapiens Creator suæ sapientiæ characteres, quibus convenientia Rerum & disconvenientia æstimatur, in nostris animis effinxit. hîc subsistendum est. nam cum â nobis ipsis nihil quicquam habeamus, sequitur omnes agendi facultates, inclinationes, impetus, eorumq; diversitates ab ipso esse. Qui, ut â nullâ causa existit, ita neq; præter ejus essentiam dari ratio potest, cur aliquid conveniens sit, cur indecens; nam ita rerum habitudines in essentiâ illâ immutabili repræsentantur. Quas æterna sapientia intuetur, non eas pro arbitrio formando (nam sic intelligendo se produceret) sed quia essentialiter in divinæ essentiæ speculo sic eminent.

4. Cum n. de Deo cogitamus, naturalis instinctus necessitate illum ut *Primum, Vnum,*

summum concipimus, atq; animo ad ejus admirationem gloriæ compositi conscientiâ rectè factorum quasi Numinis approbantis favore erecti gaudemus, & post malefacta anxij & metu pœnæ confusi, cum quid incômodè accidit, iustè nobis in pœnam inflictum confitemur. Quæ (ut alia nunc taceam) inevitabili nos necessitate constringunt, ut asseramus, esse utiq; aliquod Summum Numen, â quo omnia & nos ipsi dependeamus, quod nos certis vinculis sibi obligaverit, quorum vim, tam in rectè quam malè-factis sentiamus. Et cum nostrorum operum nihil sine sapienti directione fiat, à sanitate rationis abhorret cogitare, hoc universum cæci casus temeritate in illam elegantiam confluxisse, quando nec gladius aut domus vel navis sine artificis operâ fiant, res mundo longè inferiores. Sanè si in æternum hasce divisi ceres literas, nunquam casu huius scripturæ sensum conficeres.

5. Sed in reliquis obscuriora divinitatis vestigia se produnt, quibus sapientia ejus & vis innuitur: Mens in seipsâ ejus intuetur imaginem, non, qualis in tabulâ depingitur, immobilem: sed qualis repræsentatur in speculo sui prototypi motus exprimentem; ut hoc non viso ex ipsâ disci imagine possit, quo se vultu gerat, quibus se actibus ostentet? Nam & ipsa

Mens ſapienter cogitandi & agendi facultatem in ſe animadvertit, quâ Deum in ſuorum productione operum uti ſcit.

6. Quare quicquid humanæ Menti Cogitabile, Appetibile, Agibile eſt, à Deo habet: non tantùm quod cogitare poſſit, ſed & quod tali modo quod poſſit Rerum atq; Actuum interſe decentiam & inconvenientiam æſtimare, & ex innatæ proportionis lumine ad imitationem Creatoris novas formas componere, ac agendi depromere varios modos, atq; dexteritate applicationis ad opus adhibere. Ex quo ſequitur, illa omnia utiq; perfectiſſimâ quadam ratione in Deo eminere: quando ipſius rationis inſtinctus nos convincat fieri non poſſe, ut aliquid quicquam alij det, niſi id in ſuis facultatibus poſſideat.

7. Cum a. ille Divinitatis ſplendor noſtrorum oculorum infirmitati caliginem offundat, temperatiori lumine præparandi ſunt, ut iuſtis viribus illum ſuſtinere adſuefcant: quando experientiâ compertum ſit, à facilioribus facto initio agendi potentiam ad majorem promptitudinem proficere. Vt igitur, quem Deus in rebus producendis modum teneat, diſcamus, quid recta præcipiat ratio, attendendum eſt, ut ex ejus proceſſu divinæ proceſſus rationis colligi poſſit. Non quod ejus cogitationum amplitu-

do intra noſtram anguſtiam conſtringi debeat (nam dictamen rationis eſt, anguſtum tantum non capere quantum immenſâ amplitudine diffuſum) ſed ut ex generalibus lineamentis quæ omnis imago cum ſuo prototypo neceſſariò communia habet, pateat, quæ hujus ſit ſublimitas.

8. Ratio a. ſe ad aliquid agendum applicans. Primò finem conſiderat Cur & Quid agere velit: deinde ad cogitationem progreditur mediorum, atq; tandem ex hiſce, quæ placent, eligit in executionem deducenda. Et hic proceſſus tam eſt naturalis, ut nihil tale cogitanti ſuggeratur. Ex quo manifeſtum eſt, ipſum etiam Deum in ſuorum productione operum eundem ſervare modum: quia ipſa ratione atteſtante in agendi prudentiâ imaginis habitudo maximè eminet: & cum abhorreat â rationis ſanitate nullo fine aut mediis diſproportionatis agere; nihil à Deo fruſtra, ineptè, aut fine malo fieri ipſa divinitatis cogitatio aſſerere extorquet. Vnde ſequitur, Quicquid eſt, certo fine eſt, & rectè atq; ordine eſt, eoq; ipſo bonum; quia à ſapienti & bono Auctore eſt, qui non niſi ſui ſimilibus characteribus ſuas res notare poteſt.

9. Conſideratio Finis & Mediorum ei aſſequendo habilium eſt opus ſcientiæ & ſapientiæ. Scientia habitudines Rerum & Correſpon-

dentias nudè in se intuetur, sapientia disponit atq; ordinat; Voluntatis libertas disposita executioni dandæ decreto sancit. Scientia res intuetur ut possibiles; sapientia habitudines in unum colligit, quæ voluntatis de re producendâ interveniente proposito, jam non ut possibilis tantum, sed ut futura adspicitur. Utrumq; *Idea* dicitur, hoc est, *alicujus rei agendæ forma Mente concepta.* Priores dicuntur *Ideæ rerum possibilium*, hæ, *futurarum.* Cum regiæ aulæ figuram animo volvis, quam extruere non vales, Ideam rei possibilis apud te concipis; cum a. & potes extruere & vis, jam intueris ut futuram.

10. Quod a. talia apud animum tuum cogitare possis, à Deo, ut dixi, habes. potes ergo cogitabilia cogitare, & agere possibilia, quia agendi facultatem ab eo accepisti. Quare cum nihil existere nisi per ipsius potentiam possit, sequitur, *eum omnium possibilium fontem esse*, ita ut nihil realiter cogitabile & possibile sit, nisi in ipso realiter sit, hoc est, nisi in ipso realiter sit eius producendi potestas. Neq; timendum est, eum non summæ perfectionis fore, si quædam ei impossibilia dicantur. Nam rationaliter tantum cogitabilia, possibilia sunt. Quæ a. divinam Essentiam, perfectionem, sapientiam destruunt, irrationaliter cogitantur, neq;

sensum

sensum ullum habent; sed verbis se mutuo destruentibus efferuntur. Vt si Deus produceret alium Deum, ipse tolleretur: quia cum Idea Dei omnes possibiles perfectiones contineat, necesse esset, ut traderet Deo producto omnia quæ haberet, atq; ita esse ipse desineret. ita Deum esse ligneum, & Deum peccare est impossibile, quia sic Deus non esset.

11. Non n. potest aliquid simul esse & non esse: quia quidquid Deo est possibile, illud in ipso realem potentiam productivam ponit: & omne possibile ab divinâ scientiâ, ut possibile, ex potentiæ intuitu cognoscitur. Quid a. Deus efficere possit, non confuso quodam, ut homo, conceptu cognoscit: sed intuitu claro distinctoq; videt. Quare cognoscit omnes possibilitates, & quà omnes: quare vnum non esse alterum videt, convenientiam non esse disconvenientiam, pulchrum non esse turpe, idem non esse diversum. Et ea quidem ideo talia cognoscit, quia in suæ essentiæ speculo ita essentialiter se representant, nam sicut essentialiter se esse potentem scit: ita scit se essentialiter esse possibilium omniũ potentẽ: ergo cognoscit possibilia omnia: ergo quà omnia: ergo quà diversa. Diversa a. sunt, quia in ipso essẽtialiter sic representantur. Ergo fine essentiæ propriæ destructione non potest efficere, ut vnum

sit

sit alterum, & sit tamen quod fuit, sit & non sit. Et tollere aliquid, & velle tamen ut sublatum adhuc positum sit, & tamen sublatum, quam illud stultum velle est? Quare cogitare rationalem asinum, sapientem stultitiam, σιλλήξυκον stultè, hoc est, nihil cogitare est.

12. Hæ Possibilitates in Deo Ideæ dicuntur, quia sunt Rerum agendarum formæ & exemplaria. Ex quo patet etiam *Ideales compositiones ab ratione humanâ formatas ex illo harmoniæ, quæ divinâ providentiâ ei indita est, thesauro depromi.* Non n. fingit eas ratio (licet vulgo sic loquimur) sed ex ingenitis sibi conformitatibus eruit: quando neq; Deus fingat aut excogitet quicquam possibile: sed ejus habitudinem in suæ potentiæ immensitate intueatur. Nam cum ratio nihil â se habeat, concedendum utiq; est, illud discernendarum proportionum lumen ei esse inditum. Ex quo rursum manifestum est, quod supra posuimus, imaginem divinam in ratione relucentem maximè in agendi prudentiâ ostentari, cuius unum opus est Ideales habitudines inter se componere.

13. Tria a. in Ideâ formandâ concurrunt, *Habilitas, Indigentia, Debitum.*

14. *Habilitas* est rei habitudo ad aliud convenientiam inferens. Convenientia est, ut ſic dicam,

dicam, venientia in vnum; vnde *Conformitas*, *Consonantia*, *Congruentia* dicitur, quia formis soniſq; sociata ita se respiciunt, vt sociari velint. Hæc n. voces aptitudinem ad aliud declarant, quâ unum uniri cum altero potest. Atq; hic subsistendum: neq; roganda ratio cur unum alteri aptum sit & consonet. Deus n. illa apta esse in tuæ essentiæ intuitu deprehendit. Quæ essentia, cum nullam mutationem subeat, neq; ab aliâ causâ existat, & illas tamen rerum possibilitates essentialiter repræsentet: sequitur vtiq; ideo aptitudine inter se correspondere, quia sic in ipsâ repræsentantur, hoc est, quia essentia divina sunt. Talia a. inter se *Accommodari*, *Adaptari*, *Adhiberi*, *Applicari* dicuntur.

15. *Indigentia* est alicujus ad aliquem finem propter habilitatem eius requisitio. Nam cum indigere dicimus, cogitamus quod aliquâ re opus est. *Opus a, est*, quia requiritur. Quare requiri est propter talem sui habitudinem postulari ut adsit. Dicitur etiam necessarium, quia res, quâ opus est, ei est necessaria, cui requiritur; cum sine ea esse nequeat.

16. *Debitudo* est rei habilis & requisitæ ad suum finem destinatio. *Destinare* est constituere iudicio ut aliquid sit alterius. Dicitur & *Competere ac Pertinere*: quia destinata petunt eam rem, cui requisita sunt, atq; ad eam pertinere intelliguntur.

17.

17. Fluit a. vnum ex altero. Nam habile quod est, requiritur ei, cui est habile: & quod requiritur, egetur; & (liceat sic) egitum debetur. Habilitas loco fundamenti jacet, ex quâ vltro fluit requisitum esse. Debitudo a. includit destinationem voluntatis, cuius instituto aliquid ad aliud pertinet. Quod è contrario declaratur. Nam inhabile est, quod ita se habet ad alterum, ut ei non quadret seu conveniat. Non egere est non opus esse vel requiri ad aliquid. Non debere est, ad aliquid non esse destinatum, sive non pertinere.

18. Ex hisce nova triga surgit *Rectitudo seu Obligatio.* Rectum est quod ita est, ut esse debet. Scilicet quod æquali lineâ ad scopum contendit, rectum dicimus. Quare cum ipsa sapientiæ rectitudo præcipiat, vt actus ad destinatum finem dirigatur; hinc rectus est, si eò tendit. Quod Rectum est, & habile est atque requisitum: vnde Recta *Decentia, Decora, Legitima* sunt. *Decet* n. quod pertinet ad rem, sive fieri aptum est, quod Romani rectè atq; ordine fieri dicunt: *Decorum* suâ proportione ornamentum affert: *Legitimum* est quod conformitatis legibus congruit: *Honestum*, cui ob eximiam sui decentiam honos debetur. Quibus *Dedecus, Illegitimum, Inhonestum, Præposterum, Turpe* opponitur.

19.

19. *Jus* est potestas agendi vel habendi. Nam si mihi aliquid debetur, rectè atq; ordine habeo: si hoc, ergo habeo jure. Hinc Licentia est jus agendi permissum: Fas, quod non est prohibitum: Nefas, quod facere non licet.

20. *Obligatio* est necessitas debitudinis ad aliquid agendum. Vt n. funi alligatus trahentis impetum sequi necesse habet: sic rectitudinis proportio ita ligat rationis judicium, ut necesse sit eam secundum leges ipsius pronunciare sententiam. Hinc Oportet est, quod fieri necesse est: & Obnoxium est, esse alteri alligatum, vt eo movente ipsum moveatur. Vnde etiam Teneri & Obstringi obligatus dicitur. Atque hinc *Dominiorum & Officiorum* radix existit. *Dominium* est vis movens sibi alligatum: *Officium* est status rei cujus respectu decenter agere tenetur: Cui oponitur Liberum seu solutum esse.

21. *Intra hosce terminos rectè agendi latitudo concluditur*, extra quos cum proceditur, actus in indebito est: quare Acturus, vt [illegible]è agat, tenetur apta ad suum finem seligere, & applicare aptè: quia rectitudo tam in materiâ consistit, quam modo, quo circa materiam versandum est. Vnde non est justus qui ablatum metu periculi restituit, quia non restituit rectè, hoc est, virtutis amore: neq; fit debitè calceus,

si

si corium non rectè consuas. Interim tamen rectitudinis illa debitudo non in puncti indivisibilitate consistit: sed suam habet latitudinem, intra cujus extensionem variare actus sive operis formam, nihil violatâ rectitudine, licet. Sic recta est hominum facies, etsi nulla sit, quæ alteri per omnia congruat: & recta est oratio, licet una sit adstrictior, alia diffusior. Quod idem in actibus moralibus obtinet.

22. Ex quibus patet *quid sit ab obligatione solutum esse, sive quodnam sit Objectum Libertatis?* Nimirum, non habile & inhabile, rectum & non rectum (nam ad unum horum potentia obligata est) sed intra habilitatem & rectitudinem illorum modorum diversitas, quorum unusquisq; rectè atq; ordine adhibetur. Intra hosce cancellos se jactat libertas, extra quos si ruit, in libidinem degenerat & licentiam. Non n. liberum est, quod per leges rectæ rationis facere non licet: sed illud tantum, ad quod recta ratio multa proponendo optionem dat.

23. [illegible]*re quicquid Rectum est, Secundum suam Ideam est*; & quicquid secundum suam Ideam est, *debet* ita se habere atq; agere, sicut esse & agere destinatum est. quòd si debet, ergo *potest*: quia rationaliter ad aliquem finem destinari nihil potest, nisi necessaria requisita ipsi tribuantur, quæ suâ habitudine finem destinatum

ſtinatum comparare apta ſunt. Si apta ſunt, ergo comparare *volunt*, quia ipſa aptitudo inclinationem ad debitum objectum infert, quam deſtinatio, ut ſic dicam, quadam decreti neceſſitate ad id accommodat. Quòd ſi volunt, ſcient etiam ſe eò referre; quia nulla eſt voluntas, quæ ſcientiam anteeuntem non habeat. Igitur *rectæ rationis dictamine manifeſtum eſt, unamquamvis rem ſuæ Ideæ rectè atq; ordine reſpondentem* poſſe, ſcire, velle *agere id, ad quod deſtinata eſt.*

24. *Recta ergo ſunt res, quando ſunt, ut eſſe debent.* Sunt a. tales, quando creatoris deſtinationi congruunt. Hîc ſubſiſtendum. Nam cum ſapientiſſimus ſit, non poteſt præpoſterè quædam in unam Ideam conflare, aut ineptam addere formam, ſicut artifices imperiti operi minime convenientem formam concipiunt: ſed in ipſius voluntatis libertatem refundendum, quòd tali potius modo condiderit, quàm alio. Quare unumquodvis ſuo officio fungens rectè facit. Eſt a. id cujuſq; officium, ad quod peragendum ipsâ naturæ inclinatione trahitur, atq; agendi vires & ſcientiam accepit. Vnde quamvis aliqua videatur operationum pugna, quando plura inter ſe comparantur, recta tamen ſunt, quia, ut eſſet pugna, ſic facta ſunt. Rectè facit Leo, cum ut Leo facit; qui in imbel-

imbellem columbam degenerans, non amplius facit rectè: homo v. contra rationis officium peccat, quando illum sævitiæ impetum adhibet.

25. Nimirum rationis expertia quodam impetu ad sua officia de necessitate naturæ aguntur: Ratio, quia divinam eminentiam aliquâ imagine refert, suos ipsa actus moderatur, quod rectè facit atq; ordine, si agendo prototypum exprimat, sapienter se atq; justè gerendo. Deus a. essentialis rectitudo est, nullam legem ab alio accipiens: sed à suâ rectitudine habens; quam cum Violare neq; sciat, neq; velit, neq; possit, sibi obligatur ipsi, atq; tenetur rectè agere, quia Deus est. Vnde sicut ipse humanæ libertatis jus ad leges rationis adstrinxit: ita absoluta ejus libertas in sapientiæ dictamine fundatur: ut necessariò sapienter agat, & tamen in illâ necessitate, quoad diversos agendi modos, liber sit.

26. Cum a. quicquid concipitur per suam concipiatur formam, quæ, si ei aliquid conformari intelligitur, Idea dicitur; hinc etiam *Indebitorum Idea* est. Nam si indebitum est, necesse est, ut habeat formam talem, quâ non rectè est. Vnde Idea monstri, quia monstrum productus ad illius imitationem agere debet. Vbi res ipsa loquitur, vocum significata liberalius

liberalius extendi & transferri ad contraria, penuriâ aliarum. Nam nullum monstrum debet esse, si rationis rectitudinem consulas; & tamen, si velis esse monstrum, necesse est ut sit, sicut monstrum esse debet; quia alias non rectè monstrum foret. Verum illa, ut dixi, debitudo non est à rectæ rationis destinatione: sed à conditione rei. Recta quippe ratio solum apta destinat, & inepta non rectè in unum destinari pronuntiat. & tamen cum hæc socianda esse per errorem concipis, eorum Ideam formas: cui deinde illa omnia per significationis abusum tribuuntur, quæ tribuuntur Ideæ rectæ. Sed jam tempus est, hæc ad res ipsas applicandi.

CAP. II.

De Ente & Essentia.

1. QVicunq; cogitat, aliquod objectum cogitat. hoc *Ens*, *Res*, *Aliquid* dicitur.

2. *Ens* est, quod est sive existit. hujus conceptus simplicissimus est, quem vocibus aliis definiendo obscuramus. *Ens* est, quod habet Entitatem. *Aliquid* est, quod aliquam habet Quidditatem, quam & Essentiam dicimus.

unde

Vnde *in Ente Existentiam & Essentiam* consideramus.

3. *Existentia* est status rei quo intelligitur revera & actu posita extra suam causam. Cum considero montem aureum, in potentiâ considero: lunam a. adspicio ut existentem, hoc est, ut positum per creatorem in esse actuali.

4. *Essentia* est, quâ aliquid est id quod est, dicitur *Quidditas*, quia facit ut res sit tale quid, non aliud. Quod cum per aliquam formam fiat, vocatur etiam *species*; quia specificat esse, atq; format, ut talis sit essentia.

5. *Natura* est certa rei habitudo ad aliquid inclinans. *Indoles* est naturæ quædam conformatio specialis. Differt natura à conceptu essentiæ, quia hic repræsentat rei habitudinem, ut in se est: natura declarat eam quatenus certâ aptitudine ad aliquid propendet. essentia Catonis est, hominem esse; natura atq; indoles, esse durum, patientem laboris.

6. Quod ut clarius intelligatur è superioribus repetendum est: Deum à se ipso habere, quòd Deus est, reliqua esse à Deo. Qui cum nihil frustra agat certum posse, scire, velle cuiq; dederit, ut suos fines adsequerentur. Natura ergo est talis rei habitudo qua potest, scit, vult illud esse & agere, ad quod à Deo destinata est, ut natura pisces, hominis, Angeli.

7.

7. Est a. *Potentia* ipsa agendi vis: *scientia* virium moderatrix: *voluntas* utriusq; inclinatrix. quæ tria conceptibus apertè distinguuntur, & tamen seipsa ita pervadunt atq; permeant, ut unius conceptus in altero intimè includatur. nam & scientia potest & vult scire, atq; voluntas potest & scit velle. Est n. in unoquovis certa aptitudo rei agendæ habitudini respondens, ex qua fluit inclinatio, quia quod est aptum ad aliquid, & simul ei destinatum, fieri non potest, ut eò non inclinet.

8. Tria ergo hæc ipsam Naturam constituunt, quia divinæ essentiæ existunt characteres, quibus sui sive vestigia, sive imaginem creatis impressit. nam ut ipse nihil est aliud, quam Potentia, Scientia, Voluntas: ita necesse est, ut, quæ producit, Possint, Sciant, velint aliquid; quando effectus omnis à sua causa qualemcunq; similitudinem trahat. Sola n. hæc tria activa sunt, reliquæ, quæ in Deo proprietates existunt, certam ei in se ipso præbent habitudinem. adeo ut essentia ejus tribus illis Potentiæ. S. V. characteribus constare & (liceat sic cogitare) quasi absolvi videatur; quam Infinitas, Immensitas, Æternitas per modum essentialium proprietatum afficiunt. Nimirum in tribus illis divina Vita consistit: quare fieri non potest, ut creet aliquid, quod omnis motus sit exsors.

9. Hinc non tantùm unusquisq; proprio sensu illos divinitatis characterismos deprehendit: sed & animadvertit experimento in aliis. Eccè n. terræ pulviſculum, quem inter inertiſſima rerum referre ſolemus, an non poteſt aliquid? nimirum nititur deorſum atq; cum ſuæ naturæ cognato ſociari vult, humiditatem imbibit ac temperat: quæ activitatem in ipſo neceſsario præſupponunt. hæc v. activitas ſuâ inclinatione fertur: ergo vult ferri, quia inclinari velle eſt. Et ſimul ita agere & velle agere deprehenditur, ut rectè agat. ergo ſcit agere; quia poſſe rectè agere, ſcire eſt.

10. Quare cum commodiora vocabula non habeantur, quibus quid ſit natura in genere explicari poteſt; tria illa omnibus tribuo. non quod exiſtimem in Metallo, aut Terrâ cogitationem vel elicitum voluntatis actum eſſe: ſed cum creatorem omnia ſuis finibus deſtinaſſe videam, dico eum debitas cuiq; tribuiſſe vires, quas cum conſtanti actionum tenore exerant, non poſsum non cogitare divino artificio potentiam ita comparatam eſſe, ut ſemper idem agat & ſic agendo rectè atq; ordine agat. quod quia in ratione præditis ad ſcientiam refertur; hinc dico in ipſo poſſe, Creatoris inſtituto, latere directricem vim, quâ ſuos actus moderatur. Inclinationes a. re-

rum

rum tam manifestæ sunt, ut rationem ejuraverit, qui eas audeat negare. Hasce a. sub voluntatis vocabulo concipio, nulla superstitione aut novitatis cupiditate aflatus: sed ut deinde melius appareat, quomodo in inferioribus involuta in superioribus in distinctos q. ramos effundantur. Sic bos bovem producit, non lapidem aut equum, quia hanc artem à Deo edoctus non est.

11. Hinc ergo quid sint *Vires*, *Artificia*, *Instinctus* rerum intelligitur. quæ duo postrema quia in rebus actuũ diversitate se non semper ostendunt, in idem concidunt, quamvis cogitatione diversa. De Viribus infra. *Instinctus* est certa rei inclinatio ad aliquid tendens. inclinare est ad aliquid conversum eò niti. prius n. ad aliquid converti debet, antequam eò tendat; & tendentia præsupponit nisum sive conatum, cum aliquid contentione virium molitur tendere.

12. Sicut a. quodvis suo peculiari instinctu fertur: ita sunt generales quidam rebus omnibus communes, quales sunt: *unumquodvis vult se tale esse & taliter operari, quale est: vult suum statum conservare: vult naturæ cognatis se applicare: vult omnia talia esse, quale ipsum est: ab interitu abhorret: fugit ab hoste, ei obsistit.* Vbi unum ex altero fluit. Nam tale es-

se velle, quale est, significat rem suæ Ideæ conformem esse, ut destinationem ejus debitè exsequatur: quo ipso sequitur, quod tale esse, quoad se, continuare velit. quod a. simile se suo simili applicet experientiâ comperimus; unde fit, ut unumquodvis pro suæ naturæ habitudine agat, quod potest. potest a. tale, quale est. ergo agens in aliud illud sibi simile conatur reddere; quia agere aliter non potest. Sic terra consolidat aquam, & hæc illam fluidam reddit. Atq; hinc fuga sequitur, quia recedit ab impressione externâ patiens suaſq; vires noxam afferre molienti opponit sui esse amore, & formidine interitus. *Peculiares instinctus* sunt cuilibet speciei proprii, ut apis mellificare, aranei contexere telam. in quibus *ratio artificiorum* peculiariori modo eminet; quando apis non tantum ad colligendum mel innato studio feratur: sed & sciat modum parandi & disponendi per cellulas. *Et sicut in corporibus instinctus materiales: ita dantur in Mente rationales ex ejus rectitudine provenientes. Et ut in bestiis singularis artis ratio eminet; sic suas habet Ratio, quas vocant, Notiones Communes*, quarum veritatem in se ipsâ statim animadvertit, ut honestè vivendum, neminem lædendum. quorsum pertinent supra de modo agendi dicta.

13

13. Est ergo talis cuiusq; natura, quia talem ipsam creator fecit; agit a. taliter, non tantum quia creator eam sic agere vult, sed quia jam ipsa talis est vires hujusmodi effectui producendo accommodatas habens: unde inepte Philosophatur, qui dicit, quod magnes trahat ferrum, quod ruta venenum pellat, quod nunc pestis grassetur, quia Deus vult. Nam de eo nemo dubitat; verum quæ sit vis se ex ipsis rebus creatis tenens, quæ illos producat effectus, inquiritur: quando certum sit talem ideo esse effectum, quia talis est natura ejus productrix. postquam n. semel cultrum acuisti panem æqualiter scindit, non quia tu vis, sed quia acutus ipse est nullo vulnere inæqualis; sicut & fumus carnem indurat, non quia vis, sed quia ipse suâ salsedine humores abstergit & constringit.

14. Ex his intelligitur *quid sit Innatum*, nimirum quod res à suâ Nativitate haber, hoc est, quod in ipsa rei natura est, & cum eâ cæpit. dicitur & *Insitum*, *Ingenitum*, *Inditum*. quia ei intime conjunctum est. unde naturale, quod â Naturæ est inclinatione: cui *Adventitium & Affectatum* opponitur. illud est quod rei in suo esse constituto demum advenit: hoc, quod non est Naturale, id est, ad quod naturalis aptitudo non inclinat: sed indebitè adsumptum est.

CAP.

CAP. III.

De nihilo seu Non-Ente.

1. VT indebitorum sua debitude, & inhabilium sua est habilitas: sic & Nihil cum concipitur, formam Entis induit, & ejus Affectionibus se sistit circumvestitum. quia eo ipso, quo considerandum illud tibi objicis tanquam esset aliquid, cogitas. vt non injuria *Socrates* apud *Platonem* sibi non-entis conceptu negotium exhiberi conquetatur.

2. *Est a. Nihil sive non-ens non cogitatio de Nihilo* (nam hæc actus positivus est) sed illa objecti formalitas, in quam cogitatio intenditur, quæ per modum *Absentiæ* concipi potest.

3. Nimirum omnis Realitas in divinæ essentiæ Infinitate est; quicquid in eâ non est, non est, sive nihil est. hoc v. quidnam est? Nempe Absentia. nam quia non est in numero realium possibilitatum, abest; & quia abest, nihil est. quia si adesset, realitatem aliquam vtiq; haberet. Nihili ergo forma in Absentiâ videtur consistere.

4. Hinc proprio sensu experimur, quod, cum illud in genere consideramus, remotis omnibus realitatibus sistamus cogitationem, non objicientes nobis positivum quid: sed in vastam solitudinem quasi immittentes oculos.

quo

quo ipso innuimus, nihil sive Non-ens per Absentiam â nobis concipi. Cujus neque animo aliqua forma exprimitur: sed sicut inter densissimas tenebras apertis oculis nihil vides, quia nulla res se videndam ingerit, licet nescio quid nigri te videre somnies, quod & clausis oculis obversatur: ita etiam cum remoto omni reali Objecto in inanitatem intendis mentem, nullam formam concipis, sed per actum tantum reflexum dicis te intelligere aut cogitare Nihil.

5. Et quidem cogitationem Nihili ad ens reale alligantes semper removemus ab eo formam aliquam positivam, vt cum oculi cæcitátem, loci vacuitatem, intellectus ignorantiam dicimus. nam hæc non ponunt aliquam realitatem: sed significant tantum absentiam visus, repletionis, Scientiæ. Vndę privationes & negationes vocantur.

6. Idem evenit cum Mens plures terminos reales componit, qui re ipsâ se tali habitudine reali non respiciunt, prout â Mente respicere concipiuntur, vt cum dicitur: Lepores volantes in aëre canunt. Quamvis n. lepus, aër, Volare, Canere, secundum se considerata, suam realitatem habeant, non est tamen realis ille terminorum respectus. nam volare ab lepore reverâ abest, sicut & canere. quare qui cogitat illorum

illorum inter se terminorum præsentiam, non-ens cogitat; quia tale quid in mundo non est, quale cogitat, licet ipse illud esse persuasus sit. qua ratione omnis error circa non-ens versatur: quia ponit inter res positivos quosdam respectus, qui reverâ absunt.

7. Est a. Non-ens seu Nihilum quatenus absentiam realitatis significat, vel absolutè tale, vel secundum quid, quatenus certum aliquod entis genus non respicit. non-ens absolutè est, quod est absolutè impossibile, vt Deus ligneus, color audibilis; quia impossibile est, ut hæc illa respectuum vel mutuæ convenientiæ realitate ad se mutuo ferantur. homo a. volans non est absolutè nihil; quia inter volare & hominem intercedit aliquis respectus realiter possibilis, quando non simpliciter repugnet, vt homo volans sit. Nihil a. est & revera non est, cum de facto talis in mundo cogitatur. ita avis quæ magnitudine ingentem turrim superet in divinâ potentiâ non est Nihil (est n. realiter possibilis) nihil a. est, quatenus iam talis in Mundo ponitur, qualis nullibi existit.

8. *Hinc patet solum Deum esse omnia, reliqua tantum esse aliquid, atq; plurimum ex Nihilo habere.* non ex tali Nihilo quod, ut in Deo, impossibilitatem denotat & sub conceptu absolutæ absentiæ declaratur: sed quod declarat

rat absentiam rei possibilis. In humano corpore manus tantum est manus, non Pes, Venter, Cor, cerebrum (quæ omnia entia realia sunt) atq; ita unumquodvis in respectu ad universum rationem tantum partis habet. quare Realitatis tantùm particulâ habet, & â Nihilo undiquaq; circumfunditur cum circumfunditur à partibus reliquis. Deus a. intra circuli sui amplitudinem complectitur realia omnia, quia creatorum perfectiones omnes modo quodam eminentiori possidet.

CAP. IV.

De Tribus Entis Affectionibus, Vnitate, Veritate, Bonitate.

1. AD hæc cogitanda postquam esse Rei animo conceptum est, ipso instinctu ferimur. Cum n. cogitamus, *Vnum quid* cogitamus; rapiturq; naturali inclinatione Mens ad considerationem *rectitudinis*: quando statim animum subeat, sitne reverâ virtus, Adamas, Liber, quod tale dicitur; ipsa rationis instigatione sentientes tum demum nos rectè cogitare rem, cum eam, uti est, cognoscimus. Et cum nihil frustra facere divinam sapientiam in comperto sit, singula utiq; *fini suo apta, adeoq;*

adeoq; bona erunt. quare ex naturali instinctu vel nos ipsos intuendo certum est, *Omnem rem*, si rectè atq; ordine est; *Unam*, *Veram*, *Bonam* esse.

2. Est a. *unum* quod in se est indivisum. unitatem cogitantes integritatem rei, quatenus in plures partes secta non est, animo objicimus: deprehenditq; quivis se esse unum, & talis esse vult, quia factâ divisione, esse desinit, totalitate in partes dissipatâ.

3. *Veritas* est congruentia cum Ideâ suâ. nimirum ad hanc res exigenda est, cum quæritur an vera sit. Idea p. debitudinem declarat: ad cujus imaginem cum res efficta est, vera dicitur. Dicitur & Genuina esse, quia verum genus exprimit.

4. *Veritas a. Idea sive Rei secundum Ideam factæ non dependet à divinâ Voluntate*, sed à divinæ essentiæ essentiali habitudine existit. quia sicut Deus est omnipotens, non quia vult: sed quia essentialiter Deus est: ita etiam habet essentialiter omnes modos possibiles in suâ essentia repræsentatos, quia est omnipotens. quod si a. independenter à suâ voluntate est omnipotens: ergo etiam omnipotentiæ objectum ab eâ independens est; cum alias sequeretur: omnipotentiæ nihil esse possibile, nisi voluntatis libertas vellet, vel antequam voluit

luit; quod contradictionem inferre nemo non videt. quare non ideo aliquid alicui est conveniens, quia Deus vult; verum quia talis est possibilitatum, in essentia ipsius realiter existentium, habitudo.

5. Sed quatenus pro sua sapientiâ rerum possibilium habilitates in unam Ideam, ut sic dicam, completam liberè colligit, eatenus ipsa collectio ab ejus voluntate est, & per consequens, talis Idea composita. Ita cum non dubitem hominem etiam alio modo conditum reverâ hominem esse, dico hominis Ideam utiq; à divinâ voluntate dependere. ut nunc verus homo sit, quia eum talem Deus vult. quod si sunt in Lunâ vel Sole homines à nobis discrepantes, etiam veri sunt, non ad nostram, sed propriam Ideam comparati. Dependet ergo à Divina voluntate veritas quoad liberam variarum habilitatum conjunctionem.

6. Hinc etiam patet, *ab hominibus rerum artefactarum Ideam non dependere.* Non n· domus aut calceus est, quia vult artifex: sed quia talis illorum Idea est, cujus ratio in proportione habilium partium consistit. Cur a. unum alteri proportionatum sit, causam, præter divinæ essentiæ eminentissimam communicabilitatem dari non posse jam diximus. dependet quidem ab architecto, quod rotun-

dam

dam potius domum extruat, quam angulatem, verum nec figura rotunda nec quadrata ab ejus voluntate est.

7. Vera ergo est res, cum tota ejus habitudo omnibus partibus aptè se respicientibus artificis destinationi congruit, à quâ quantum quodvis recedit, in tantum & discedit à veritate.

8. *Veritati opponitur falsitas*, quæ est à suâ Ideâ difformitas. ubi observandum, quod, sicut Indebitorum est debitudo: sic est falsorum veritas. nam nisi monstrum, error, mendacia revera talia essent, non essent talia.

9. *Nulla realitas simplex, quâ talis, est falsa*: quia omnis realitas in essentia divinâ correspondentem habet Ideam. Falsitas a. existit, quando res sive possibilitates simplices indebite conjunguntur, vel cum rei externa tantum prætexitur Species. illo modo vestis non est vestis, quæ chirothecæ; nec vera navis, quæ sellæ formam habet. hoc modo virtutis larva falsitatem habet, & quæcunq; fuco speciem mentiuntur.

10. Est a. *Veritas vel Rei, vel cognitionis, vel Loquelæ*. ista est cum res ita se habet, ut debet: illa cum quis de re ita cogitat, uti ipsa est: hæc cum quis ita loquitur, ut cogitat. prior dicit congruentiam ad suam Ideam: altera ad

rem

rem cogitatam, cujus imago est: postrema ad cogitationem, cujus est signum. Vera est navis cum est ut esse debet; & cum eam talem concipis, verè eam concipis; & cum affirmas te eam sic concepisse, verum loqueris.

11. *Unius rei tantum una est Veritas*; quia uni tantum completæ Ideæ potest congruere. Nam ut Ideæ ideo sunt plures, quia diversæ sunt: ita fieri non potest, ut una res uni Ideæ respondens congruat & alii. Nam sic non amplius esset una, sed plures; sicut Ideæ plures sunt, quibus respondet.

12. *Bonum* est convenientia cum Appetitu. Scientia habitudines Rerum intelligit, sapientia eas uni alicui destinat fini. unde si res suo fini apta est, bona est: quia Appetitus opus sibi esse conveniens apprehendit, cum sapienter effectum est. & in universum sapienter agere (quod Deus ubiq; facit) bonum est: quare omne ejus opus est bonum.

13. Hinc *verum refertur ad essentiam, Bonum ad finem.* Nam cum essentia est, ut esse debet, est vera; & quia est vera, suum finem assequi apta est, ideoq; bona.

14. *Malum* est cum Appetitu disconvenientia. Disconvenit a. vel quia debitudinem essentiæ tollit, & sic secundum Ideale judicium malum est, ut morbus, error, insania, quibus homo

mo in statu indebito constituitur; vel quia rei debita constitutio alteri, ob contrariam sui habitudinem, inimica est. Sic cicuta est mala, non absolutè: sed quia est noxia homini. qua ratione & malum est piscem esse in aëre, avem sub aqua. de quo infra cap. de Vtilitate.

15. Vt ergo *nulla realitas est falsa seu non recta* nisi cum respectu ad finem & Ideam cui inepta est & disconvenit: *sic nulla res absolutè est mala*, sed vel quia non recta; vel quia recta quidem: sed alteri disconveniens.

CAP. V.

De Distinctione, Entis & Pluritatis.

1 *CVm unum apponitur uni, fit multum.* omnis a, multitudo ab uno incipit; quare primum sine subsequentibus esse potest, hoc est, potest prima unitas esse sine multitudine; quod a, tertium aut quartum est, pars est multitudinis, & sine eâ esse & cogitari nequit.

2. Talis v. est res omnis creata. nam extè ipso percipis, ut naturali instinctu ad alia extra te ferare, & quasdam habeas ad agendum vires, quæ utiq; vanę essent, nisi esset, in quod eas exercere. quare si vel nihil tibi actu obversaretur, colligeres tamen, præter te requiri, quibus adiungereris. 3.

3. Deus a. prima est unitas indivisibilitate suâ infinitas illas rerum multitudines complectens. unde ipse solus sine multitudine esse potest, quia sibi est unus & omnia est; creatorum singula multitudinis sunt pars; quia nullum eorum est primum; sed à primo fluens.

4. Illam v. pluralitatem, quia à sapienti Auctore processit, ordinatam esse ratio dictat, testaturq; ipsa rerum inspectio, ut omnia consensu congruant atq; in ipso dissensu proportionis admirandæ legem conservent, intimis respectibus se comprehendentia & mutuâ usuum permutatione sibi invicem impertientia: ut nihil sit, cujus aptitudini non aliquid respondeat.

5. Et quidem ita diversis naturarum vultibus notata sunt, ut haud obscuris vestigiis ostendant, se ex unâ communis artificis officinâ prodiisse. sunt nimirum Divinitatis illi characteres unicuiq; impressi, ut, quemadmodum suum auctorem singula aliquo indicio referunt: ita inter se communia lineamenta ostendant; si non propriæ conformationis proportione convenientia, primis tamen communissimarum linearum ductibus innuentia cognationem.

6. Quemadmodum n. Alphabeti literæ, licet primâ facie nihil habere similitudinis videantur, ex uno ferme I. ducantur; & sicut omnis

omnis illa sonorum diversitas 24 literarum angustiâ constringitur: ita quæ rerum videtur infinita varietas, ex communium Idearum radicibus provenit, quæ Additionum, Detractionum, Transpositionum varietate admirabile hoc universum constituunt, ut pressiùs naturas rerum contemplantibus in ipsa dissimilitudine sese offerant similitudines, donec tandem perveniatur ad primam & radicalem, ex qua tanta in oppositа latera surgentium ramorum atq; surculorum turba est.

7. Nimirum hominem, Leonem, Elephantem, Murem, erinaceum, piscem habere caput vides, quoad peculiarem quidem Ideæ propriæ conformationem inter se diversa, & tamen in unâ genericâ Ideâ ita convenientia, ut ex paucorum inspectione, universam Ideam animo hatirire, atq; ipsius rationis instinctu transferre ad non visa possis: neq; nisi stultus asini aurem esse pedem, aut ungulam, oculum putet. quod ipsum argumento est, Creatorem lumen quoddam, ut sic dicam, Ideale sive proportionale nostris mentibus indidisse, cujus vi rerum differentias discernere & naturæ convenientias & mutuas exquirere habitudines aptæ sunt.

8. Sicut n. quoad speciem externam simia cum homine, cum Leone Catus, Canis cum Lupo,

Lupo, Asinus cum Equo, cum anſere anas convenit, & pulex habere caput Elephantinum per Dribbelianum perſpicillum deprehenditur: ſic & in Leonis, Vrſi, Elephanti, Tigridis, Lupi, Canis, Equi, Hominis vultibus, quoad generaliora lineamenta, imago ferociæ eminet. patetq; rerum diverſarum diverſos inter ſe actus contendenti eandem internarum habitudinum inter eas conformitatem intercedere, qualem in externis membris corporum ſpecie diverſorum deprehendimus. ut ſicut pes hominis, atq; equi, & Elephanti in figurâ pedis: ſic & eorum ſpiritus, quoad ſimilem ferociæ configurationem, conveniant.

9. Harum obſervatione ſimilitudinum factum eſt, ut res in *univerſalia* & *ſingularia* diſtributæ fuerint. *Univerſale* eſt forma rebus pluribus competens: *ſingulare* eſt forma propria huic, nulli competens alii. cum vultus humanus ita effingitur, ut nullius exactâ repræſentatione figuram referat, imago hominis dicitur; cum a. Socratis vultum exprimit, nulli alii, præterquam Socrati applicari poteſt: ita habere eſſentiam humanam dicitur de omnibus, qui homines ſunt; ſed habere hanc ipſam naturam, quam digito indice oſtendo à reliquis omnibus ſeparatam, dicitur de ſolo Socrate, qui Athenis in carcere mortuus eſt.

10. Est ergo *singulare* res una prout in rerum naturâ existit, à reliquis omnibus distincta atq; alia: Universale a. est forma rerum similium animo concepta, de illis omnibus prædicabilis *Non n. existit ulla forma universalis*, quæ quoad existentiam multa sit (nam hoc contradictionem involvit, quia si est re ipsa multa, non est una) sed talis tantum animo concipitur, quando à rebus singularibus, per abstractionem, generalis quædam illis omnibus applicabilis formatur imago. unde neq; hic ipse conceptus secundum existentiam est universalis: sed tantum quoad repræsentationem. ut non possim ullâ cogitatione assequi, quid apud animum suum volvant, qui universalem quandam humanitatem, à singularibus distinctam, & per omnes, ut sic dicam, fusam concipiunt; cum quantum ego concipere valeo sola Idealis repræsentatio in intellectu universalis denominationem accipiat.

11. *Est a. universale unum altero universalius*, unde in Species & Genera distribuitur. *Species* est talis forma sive conceptus, qui repræsentat multatum rerum essentiam completè: *Genus* est conceptus, qui non exprimit lineamentorum propriam habitudinem quibus specialis cujusq; vultus signatur. cum dicis corpus, talem animo imaginem concipis, quæ na tu ri

naturis distantissimis competit, lapidi, ranæ, quercui: cum dicis homo, talem concipis corporis formam quæ completam certæ alicujus essentiæ imaginem repræsentat. hinc genus dicitur, quod de multis specie differentibus in quid prædicatur: Species, quæ de multis prædicatur individuis eandem completam essentiam habentibus.

12. *Genus summum* est, supra quod non est aliud, ut substantia, spiritualia & corporalia omnia sub sua latitudine comprehendens: *Genus proximum* est, quod suâ forma proximè attingit speciem eamq; constituit, ut animal respectu hominis & elephanti. Remotum genus est quod est supra proximum, ut corpus respectu hominis. nam Animalitas est gradus, ut sic dicam, propius ad humanitatem accedens. *Species infima* est, quam supra definivimus. *Intermedia* est, quæ respectu inferioris speciei est genus, & respectu superioris generis est species. Vnde species & genera *subalterna* dicuntur. Genus n. specie dicitur esse *superius*, quia est latius, sive quia pluribus competit: species est inferior & angustior, quia competit paucioribus, sive non de omnibus prædicatur, de quibus genus.

13. *Singulare* dicitur & individuum & unum numero, quia ejus ita concipitur animo

forma ut alii tribui nulli possit, ut Socrates cum conceptus animalis & hominis secundum se totus pluribus communis sit. nam & Leo animal est & homo.

19. Otiosa, ni judicio fallor, *de principio individuationis* movetur quæstio. nam si quæritur, cur hoc individuum sit hoc, non aliud; causam afferre aliam non habeo, nisi quia est hoc. est n. corpus quia hanc materiam & hanc formam habet. Est hæc materia, quia ex universa massa est hæc pars. Nam Hoc est materiæ hæc pars, non illa, ista; quia est hæc, hoc existens loco.

15. Cæterum observandum est, *aliud esse Rem, aliud Modum rei.* Res est ipsum illud ens positivè in naturâ rerum existens; Modus est entis certa habitudo. homo, leo, cœlum sunt Res; modi sunt longum, latum, profundum. nam hi licet reales sint, non tamen propriè sunt Res seipsis existentes, sed rebus adhærent. Rem vulgo *Materiale*; Modum *Formale* vocamus. illud est, quod ab aliqua modificatione denominationem accipit; hoc est ipsum Modificans. homo Materiale est, quem eruditio, crudelitas certa ratione modificat, ut crudelis vel eruditus denominetur. Hinc concretum vocant, quod Materiale & Formale complectitur, ut candidum (ex candore n. & homine

homine concrescit) Abstractum a. est Modus sive formalitas se ipsâ concepta, ut candor.

16. *Sunt ergo Res plures, quia est una prima summa unitas*, quæ plura ex fœcundissimo suæ naturæ sinu protulit. si plura, ergo alia atq; alia. si hoc, ergo distincta. si distincta; ergo proprio unumquodq; circulo concluſum est, intra quem ejus omnia continentur, et extra quem est nihil, quod ad ipsum pertineat. quare ut omnes Res, prout in Rerum Naturâ existunt, se ipsis sunt id, quod sunt (nam si essent per aliud, illud ipsum aliud essent) ita etiam se ipsis ab alio quovis distinguuntur. neq; unitas est aliud quid, quam totus ille essentialis circuli complexus & integritas, quam per conceptum indivisionis negativum vulgo describere solemus.

17. *Unde unitas identitatem facit, pluralitas diversitatem.* Idem est, quod est illud ipsum hoc. idem Socrates qui hoc ipsum corpus & hanc animam habet: Eadem specie et genere sunt quibus una aliqua forma communis competit. Quæ non una sunt realitas, diversa distinctaq; sunt, licet aliqua unione contineantur. nam aliud est distinctum esse quod cum unione stat, quia nec unio esse potest, nisi inter distincta; aliud est separatum esse, quod eam tollit.

18. Sed de hisce parte secunda uberius; hic Parte primâ considerabimus Rem sigillatim & secundum se ipsam: Parte altera ejus habitudinem, quatenus alteri conjuncta est contemplabimur; & quid sit id, qnod ex conjunctione resultat.

CAP. VI.

De Substantia.

1. QVando Ens habere aliquam unam veram, bonamq; essentiam concipitur, illâ diversarum Rerum multitudine circumfusa Mens naturali instinctu ultra progreditur atq; in ipsâ essentiæ habitudine *Substantiam* ejus, *Qualitatem*, *Quantitatem* considerat. nam si unumquodq; certam habet essentiam, quia certam Ideam habet; propriam habebit subsistantiam, quâ illa essentia stat: & si propriam habet subsistantiam, habebit & certam Qualitatem sive habitudinem, quâ talis subsistantia est. Et cum unumquodvis suo fine sit habile, sequitur, quod habitudo illa fini sit coadæquata, unde determinata ejus Quantitas existit. Quare unaquævis res in essentiali suo conceptu conceptum Subsistantiæ, Qualitatis, Quantitatis includit.

2.

2. *Substantia* est per quod res est id, primò & per se quod est. nam cum in substantiam inquirimus, inquirimus in constitutiva Quidditatis, quibus essentiæ illa, ut sic dicam, machina stat, remotis, quæ contexturæ ejus non implicantur.

3. Ne vocabuli ambiguitas obsit, repetenda est distinctio inter Rem & Modum Rei, illa propriè substantia dicitur, ut homo, leo, planta, quia se ipsis stant, & stant sub modis, qui illis insunt; huic idem nomen tribuitur; quando Quid sit definitur & ab extraneis seu non pertinentibus diversus ostenditur. ut substantia contractus consistit in ultro citroq; obligatione, substantia furti est rei alienæ invito domino injusta ablatio. quod si interdiu, noctu, clam, aperte fit ei extrinsecum est. hinc Philosophi Morales inter substantiam actus & ejus Accidentia distinguunt.

4. *Substantia Rerum vel est Materialis vel Immaterialis.* illa extensionem in longum, latum, profundum per partis unius ad alteram appositionem habet; quâ fit, ut in partes divisibilis sit.

5. Substantia Immaterialis est, quæ ex talibus particulis non est composita quarum una adjuncta & appositа alteri solvi ab eâ rursum possit. non n. ex minimis, ut terra, pulvisculis

conflatur

conflatur: sed una indivisibili unitate stat.

6. *Difficile est rebus Materialibus immersis substantiam immaterialem concipere*, en rudi exemplo repræsentatam. Cogita mille guttas aquæ in rotunditatem collectas: quocunq; oculos vertis, aquam vides; ita ut non tantum totus ille globus, sed & quævis particula aqua dicatur. Sed & cogita Angelum in aliquo circulo consistentem. quicquid intra circulum est, Angelus est quidem: sed quando oculos ab unâ circuli parte ad alterum extremum per intermedias fers, non licet dicere: in hac parte circuli particula est substantiæ Angelicæ, quæ proximæ alii adjuncta est, non n. ut aqua ex multis guttis, quarum quævis aqua est, componitur: ita & Angelus ex multis conflatur particellis, quarum quævis Angelus est.

7. Et licet pro certo non constet an Menti Angelicæ omnis simpliciter Materialitas repugnet, certum tamen est, elementarem nostram ab illis abesse: atq; divinam essentiam ab omni esse materiâ secretam æterna ejus & immutabilis habitudo convincit, nisi per Materialitatem fortè substantiam intelligas.

8. Voces quibus Substantiæ tam Materiales quàm Immateriales declarantur variâ ambiguitate laborant. *Corpus* est vel in universum materialis substantia, ut aëris & aquæ corpus:

pus: vel est in compositis crassus illud in habitantis spiritus integumentum. sic aliud est corpus leonis, aliud ejus anima; licet utrumq; materiale sit.

9. *Spiritus est substantia motrix.* Spiritum cum concipimus, substantiam tenuem, mobilem atq; penetrantem concipimus: quia talis est aër quem spiramus, unde spiritus dicitur. In vino spiritum vocamus subtiliores illas partes in quibus vigor ejus atq; vis consistit, quibus abscedentibus, aquea vappa remanet. Et in universum in corporibus *Spiritus est illa vis motrix, immutatrix, effectrix.* quam ob causam etiam substantiæ immateriales spiritus dicũtur, quia subtilissimæ & actuosissimæ sunt.

10. *Simplex est, quod ex partibus non est compositum sive alienis sive nullis.* Habet n. hæc vox, perinde ut reliquæ, ambiguitatem. Aqua dicitur simplex, quia ex multis diversarum specierum partibus nõ est composita; qua ratione Metalla, Plantæ Animalia cõposita seu mista sunt, quia ex aquâ, terrâ, aëre, pinguedine aliisq; conflantur. Dicitur & simplex quod ex Elementis quidem pluribus constat: sed non ex pluribus corporibus mistis, quo sensu etiam Purum vocatur. Planta simplex quæ ex multarum specierum plantis non coaluit: Medicamentum simplex, quod ex unius plantæ vel

mineralis

mineralis spiritu est, aliis non permistum. quo sensu *purum & simplex est quod alieni nihil admistum habet.*

11. *Simplicitas immaterialis* partes omnes excludit, & est nihil aliud, quam unitas essentiæ indivisibilis, cujus respectu meterialis simplicitas tantum comparative ob majorem negationem compositionis talis dicitur. qualem Deo convenire extra dubium est.

12. Hanc ex mutua *dimensionum penetrabilitate* æstimare licet, cum duo in eodem spacio simul præsentia cogitantur. Corpus n. omne ab eo loco, quem occupat, aliud suâ mole prohibet, ita quidem ut unum alterius Spatium occupare nequeat, nisi priori decedente atq; dante locum.

13. Vnde etiam corpora composita pervia poris deprehenduntur, per quos alia ingrediuntur, aut expirantia avolant. Quamvis n. Spiritus materiales tenuissimi sint, ex partibus tamen cum constent solubilibus, effluere per aliud, nisi apertâ viâ, nequeunt. nam cum unum incidit in alterum aut dispergit illud, & sibi viam facit, aut dispergitur in partes aut retrocedit. quin quo subtilius est corpus, eo facilius dividitur & loco pellitur. Sunt certè subtilissimi spiritus, qui per chartam transeuntes nullum cum transitus vestigium relinquant, penetrationis

trationis speciem exhibent: sed cogitandum, chartam multis poris perviam esse, ut mirum non sit corpuscula illa innoxiè transire. quamvis, si rationem rectè putes, non sit dubium, quin in chartâ facta sit mutatio, sed nostrorum oculorum hebetudini insensilis.

14 Spiritus a, Immateriales cum simplicitate insolubili tenues & subtiles sint, nihil se aperientes, sed in eodem consistentes loco, alteri per se transitum permittunt. Non n. vt ruenti lapidi aër cedit: ita etiam substantia Angelica dehiscit, si per illud forte spatium, in quo Angelus est, cadat lapis. Vnde in uno homine legionem fuisse Scriptura testatur.

15 *Dubium quidem nullum est, immaterialem Mundum essentiarum Varietate intelligibilium æquè admirabilem & augustum esse, atq; mundum corporeum Videmus: sed in quo illa consistat diversitas nobis indicio certo non percipitur.* Nimirum si præter te & lumbricum atq; scarabeum animal aliud nullum vidisses, audires autem esse innumera alia genera, diversitate naturæ atq; formâ penitus discrepantia; tum vagas quidem confusasq; de diversitate volvere cogitationes posses, non posses a. illas tot bestiarum, piscium, reptilium, avium species suo vultu & coloribus signare: ita quid spiritus sit immaterialis, ex te capere, qui Mentem

im-

immaterialem habes, qualemcunq; notitiam potes, non potes a. in te perspicere in quo præcisè illa varietas consistat.

16 Materialia nostris sensibus familiaria sunt & proinde suis differentiis notantur. nam inter ea *corpora* quædam simplicia deprehendimus, vt terram, aquam, aërem; quædam ex hisce composita, quæ sunt illa ipsa simplicia certa quadam contemperatione per additionem, detractionem, transpositionem permixta; unde illa figurarum diversitas existit.

17 *Distribuitur namq; hic Materialis mundi globus in tria quasi Regna Mineralium, Plantarum, Animalium:* quorum ea est ratio, vt mineralia partium certam figuram ad actus suos necessariam, non habeant, quia intra crassi corporis integumentum spiritus vel otiosus latet, vel uniformi operatione vigens varietatem externarum partium nihil requirit: quæ jam in plantis conspicitur, quarum spiritus cum diversa moliatur opera, diversis instrumentis opus habet. Sed quia obscurior est illa & q. confusior operandi multiplicitas, ideo etiam partes minus exacta effigiatione discretæ sunt. In Animalibus a. spiritus tot tam diversis operibus destinatus singulis actibus instrumentum accommodatum habet, vt oculis videat, auribus audiat, manibus contrectet. quo fit,

ut

vt hæc ptæ illi. maximè compoſita ſint, & corporis à ſpiritu differentia euidentius appareat.

18 *Differunt ergo Materialia ab Immaterialibus*, quòd illa moles ſunt ex pluribus conflata partibus, vel pars quædam minima adjungi aliis apta; hæc ſimplicitate ſuæ unitatis in toto ſuo idem ſunt, pluralitatem partium excludentia. Illa ex quibus compoſita ſunt relabi in ea rurſum poſſunt; horum identitas eſt inſolubilis, quia eſt unitas ex uno, non ex pluribus. Illa diverſas figuras ex diverſâ collocatione partium accipiunt quibus diſiectis quod fuerunt eſſe definunt, atq; eſſe aliud incipiunt: hæc ſuos vultus habent figuraſq; proprias ſine tali collocatione partium. illa impenetrabilia ſunt; horum plura unum ſpatium abſq; ullius diviſione occupant. illa apoſitione creſcunt; hæc in ſe perfectam ſubſiſtentiam obtinent, nulliuſq; tanquam compoſiti, partes eſſe poſſunt.

19. *Res quatenus eſſendi in ſe complementum habent, dicuntur ſubſiſtere.* Eſt a. *ſubſiſtere* eſſe per ſe ſtatu completo alii per modum partis non adjunctum. nam quæ aliis innituntur non ſuis ſtant ſulta viribus, ſed in alia inclinata recumbunt. ita pars non ſuis ſtat pedibus, ſed totius. Totum ergo ſubſiſtit, non pars. *Subſiſtentiam* n. ultimum & perfectiſſimum eſſendi

sendi modum appellant, dependentiam, quâ pars toti, accidens subjecto est alligatum, excludens.

20. In universum quicquid ita existit, ut se ipso totaliter & integrè sit subsistere dicitur, ut Deus, Angelus, lapis. Vnde *subsistentia* est status rei secundum se ultimo essendi complemento existentis rem aliam constituti-vè non perficientis. Græce dicitur ὑπόστασις & quod taliter subsistit est substantia completam essentiam habens, aliud non constituens. estq; vel *Suppositum* vel *Persona*. illud est res quævis per se subsistens, ut Leo, aqua, arbor. *Persona* est suppositum rationale. hæc n. substantiis tantum rationalibus tribuitur, sic homo persona est, non canis.

CAP. VII.

De Qualitate.

1. *Qualitas est talis vel talis rei habitudo.* Hæc vox omnia, quæcunq; ullo modo cogitari possunt, suo conceptu complectitur. nam cum substantia ignota profertur statim quæritur qualis ejus sit Quidditas, quæ habitudo essentialis? Et in Quanti, Loci, Temporis, Actionis, Passionis conceptu, conceptus Qualitatis involvitur. 2.

2. *Communiori quidem notione illa vulgo Qualitates dicuntur, quæ extra essentiam rei positæ certam ei denominationem præbent.* Cum dicis vidi equum, & ego, quid sit equus sciens, quærerem: qualem vidisti? non satisfacis si dicas quatuor habentem pedes & qui hinnire potest. nam hoc tanquam notum præsuppono; verum an magnus, ferox, pulcher fuerit scire volo. Vnde etiam factum ut extra-essentialibus ejusmodi habitudinibus nomen Qualitatis, tanquam solis proprium, frequentiori usu attributum fuerit. Licet differentiam essentialem in quale-quid prædicari Philosophi fateantur.

3. Propter hanc significationis universalitatem fit, ut aliarum vocum beneficio conceptus ejus non admodum clare exprimi possit. Nimirum Qualitas qualificat, hoc est, certam rei habitudinem præbet, quâ modificatur. habitudo, ut sic dicam, habituat, seu taliter se rem habere facit qualis & quomodo est: quia res denominatur talis ab iis, qualia habet: nam qualia non habet, ab illarum habitudine qualificata dici non potest. Sors vilis non est splendida, nec leo rationalis. Quare sine conceptu Qualitatis nihil concipitur, quia ipsam conceptus cujusq; propriam formalitatem exprimit.

4.

4. Cogita essentiam rei se centri in modum habere, ex cujus Posse, Scire, Velle, variæ aptitudinum variarum lineæ fluant in diversa objecta se intendentes. quælineæ per modum *promanationũ, effluxuum, ejaculationum, vibrationum* concipiuntur: declarantq; nihil aliud, quam Substantiæ talem aptitudinem ex ipsâ intimè essentiâ effluentem atq; ad hoc, istud, illud objectum propendentem. sic potentia visiva ad sua objecta lineas projicit, quæ cum audibile & gustabile non attingant, hinc color visibilis est quidem, non a. sapor vel sonus.

5. Sed forsan rem nondum exhaustimus. cogita essentiam quamvis *intra circulum suum essentialem conclusam lucis ad instar omnibus partibus sibi conformem esse & lucidam, atq; ad objecta extranea aptitudinum mittere radios*: deprehendesq; quasdam habitudines, ut sic dicam, constitutivas, & alias ad extra tendentes. illæ sunt centralis illa lux sive coruscatio interna, quâ in seipsâ res fulget; hæ sunt radiationes ad extra fusæ. subtilitas, liquiditas, diaphanietas aëris substantiam, ut aër sit, constituunt; penetrativa a. ejus vis objectum penetrabile respicit. immateriale, indivisibile, purum esse, mentis humanæ vultum delineant, ex qua emanat vis rerum cognoscitiva.

6.

6. Vtrumq; Qualitatum genus *Affectivorum, Propriorum, Attributorum* nomine concipitur. *Affectio* est propria habitudo ex re promanans eamq; afficiens. *Afficere* est facere ut quid taliter denominetur. *Propria* sunt, quia ad eam solam essentiam spectant, dum remoto omni extraneo, per se, ex centro substantiæ emergunt fundunturq;, non ab alio ingestæ, non annatæ aliunde: sed ex ipsius, ut sic dicam, substantiæ connixu partæ. atq; hinc dicuntur *Attributa*, quia tributa rebus, eas denominant.

7. Ex quibus patet, ut sub alio schemate loquar, *Qualitates Rerum nihil esse aliud, quam ipsarum Figuras, Species, Vultus, Facies. Figura* est dispositio extremitatum. *Species* significat figuram spectandam oculis subjectam. *Vultus* est capitis pars anterior certis lineamentis expressa. quæ cogitatione rectè ad omnia traducuntur, ut talis dicatur cujusq; essentiæ vultus, qualem Idea ejus requirit. Res n. omnes propriâ suâ habitudine tanquam vultu inter se discernantur, cujus nos confusas tantum obscuriorum similitudinum lineas percipimus; Deus a. in se ipso clarè intuetur.

8. *Est & status vocabulum amplissimæ significationis rei habitudinem taliter vel taliter se habentem declarans.* dicitur â stando, quia res

ita ſtat in tali loco et quaſi articulo, ſicut poſita eſt, ſic ſtatus, felix, miſer. pertinentq; huc omnes exiſtendi modi, ut eſſe in occulto, in publico, eſſe erectum, peritum, fortem, Magiſtratum, ſponſum, ſervum &c.

9. *Illis ergo propriis habitudinibus res ab ſe invicem diſtinguuntur.* Scilicet materiale eſt ex partibus compoſitum, & compoſitione extenſum, ideoq; quoad dimenſiones impenetrabile, ſed in ea ſolubile, è quibus eſt compoſitum. Immateriale v. compoſitionis eſt expers eoq; ſubtile, & ideo penetrabile atq; velociſſimum ad movendum. Hæ ſunt illæ Qualitates, quæ Materiale & Immateriale conſtituunt: *ſuntq; q. tabulæ, in quibus divina ſapientia illas agendi vires & inclinationes inſcripſit*, talibus nimirum literis, quales cujuſq; habitudo admittit. nam Materialia Materiales characteres habent; Immaterialia, immateriales. Vnde ut mens rationalis non poteſt actum nutritionis edere: ſic nec potentia rerum omnium cognoſcitiva ſpiritui materiali inſcribi poteſt.

10. Et ita quidem rei vultus eſſentialis ſe habet: *quæ ab externo ad eam ducuntur lineæ, non ſunt radii ſubſtantiales, quia aliunde adveniunt.* Nam aquæ fluorem terræ craſſitie temperatum eſſe, non facit ut aqua ſit aqua: ſed

ille

ille contemperationis ſtatus ei per conjunctionem alicujus externi accidit ſive obtingit. unde etiam *Accidens* dicitur.

11. Sciendum n. eſt; ex rerum eſſentiali circulo non tantum ad alia radios aptitudinum profluere: ſed &, quia intimis inter ſe reſpectibus omnia complicata ſunt, in uno quovis eſſe potentiam operationum alienarum receptivam. nam ſi ſingula tantum ſibi eſſent, neq; actionem aliorum admitterent; non eſſent unius partes totius, & fruſtra in alia agendi poteſtatem accepiſſent, quando vis humectativa, ſi ejus nullum poſſet dari receptivum, non magis eſſet poſſibilis, quam viſibilitas ſaporis. quare illa ſubſtantialis circuli area ſive tabula (liceat n. ſic loqui) non tantum propriæ eſſentiæ characteribus inſignis eſt: ſed & præterea vacuum habet ſpatium, cui imprimere tes extraneæ ſuas notas poſſint. quod paſſionum atq; ſenſibilitatum fundamentum eſt.

12. *Duplex eſt cauſa, cur aliquid ab extrinſeco afficitur.* vel n. ipſa natura rei talem ex ſe recipiendi facultatem promit; vel emergit non ab efficacitate eſſentiæ: ſed tali ejus ſtatu & conditione, quâ non eſt perfectiſſima. quod pinguedo aliis tenaciter hæret, quod ſpiritus viſivus lucem coloreſq; recipit, licet ipſa ad recipiendum aptitudo patibilitas ſit, re-

ceptio tamen à facultate activa est; quod a. lignum est fragile, & aër dissipabilis ab defectu firmitatis est.

13. *Quæ extrinsecus rei accidunt Qualitates, eam in novo aliquo statu collocant.* Nam cum quodvis hujus universi sit pars, non sibi, sed in usum totius conditum, necesse est, ut, dum aliis est implicatum, novam essendi habitudinem accipiat. nemo Rex, aut sponsus, aut proditor est, quia naturam habet humanam: sed aliquo suo facto, quo aliis conjungitur, & in tali statu ponitur.

14. *Hæc. Qualitates rem vel perficiunt, vel corrumpunt.* Perficiunt, quæ debitum naturæ statum conservant & fovent; corrumpunt, quæ eam de statu suo movent & dejiciunt. calor ignis perficit humanum corpus cum ipsius naturalem statum conservat; perdit, cum nimio æstu dissolvit: quia homo ex talium partium tali temperamento compositus nec conflagrare ignis ardore amat, nec immanis frigoris rigore uri.

15. Hinc patet *diversas aptitudinum essentialium lineas ex diversis centris profluere, neq; ullam esse substantiam creatam puram atq; simplicem activitatem suæ tantum essentiæ characteribus insignem.* est n. cujusq; Qualitatis certum propriumq; principium, è quo scaturit,

ut

ut à nullo alio ducere familiam possit. à solo sale salsedo est, à solo aëre liquida illa & volatica mobilitas. Et cum ex compositione commune Qualitatum temperamentum emergat, singulæ quidem communi totius usui impenduntur; suo tamen principio, à quo funditur, propria unaquævis manet. saccharum aceto permistum aciditatem ejus temperat, ubi dicere licet, acetum dulce est; sed non, dulcedo ex aceti substantiâ genita est.

16. Hæc ipsa extranei receptivitas facit, ut *nullum creatum*, sicut dixi, *puram activitatem habeat*. nam si potest recipere aliud, quomodo tantum erit activum? quare solus Deus purâ atq; simplici activitate viget, quia ipse activitatum omnium cum fons existat, nihil extra se positum habet, à quo aliquid reciperet. quare neq; potentiam habet recipiendi.

17. Cujus providentiam rei cujusq; statui tam benignè consulentem admirari par est, quæ singula pro sui status atq; officii ratione in suis collocavit locis, atq; præparavit non necessaria tantum alimenta: sed & arma circumdedit atq; munimenta, ut ab ingruenti vi tuta essent. nam ut in humano corpore aptissimâ collocatione membra suum locum habent officio suo atq; dignitati congruam: ita hoc totum universum affabrè effectum est. injuriæ

opportuniores partes, ut cor & cerebrum, perinde ut imbellis fœminarum puerorumq; turba intra exercitum recepta, crassiorum partium munimentis cinguntur. asino & equo gramen, leoni aliarum bestiarum caro in cibum parata est. armavitq; natura bovem cornibus, dentibus aprum, unguibus leonem.

18. Immaterialium a. substantiarum conditio rerum corporearum sorte longè eminentior & augustior est; cujus nunc imaginem non distinctius accipimus, atq; ruralis homo splendorem apprehendit regium, de quo obscura narratione forte aliquid ad aures ejus accidit.

CAP. VIII.

De Quantitate.

1. *Quantitas est rei extensio.* Tendere est progredi ultra. Sic quercus cerasio, fortitudo Alexandri quam Hannibalis major est.

2. *Quantitas substantia materialis* est partium materialium ad partes alias appositarum per spatium diffusio. *Quantitas substantia immaterialis* est rei indivisibilis tensio una unitate constantis. nam Numen ut immensum est ita & in partes est infectile, puncti ad instar se habens

habens, cujus nec initium, nec medium, nec finis datur.

3. *Corpora extendi, Qualitates & Actiones Intendi dicuntur.* e. g. quando manum frigidam igni admoves, calor primum exiguus, mox major inducitur, donec tandem intolerabilis fiat. Hoc intensionem vocant, quia caloris vis intra seipsam tenditur novorum accessione graduum roborata. non quatenus se in brachium effundit (nam hoc extendere est) sed quatenus in eadem manu consistens se ipso fit major. Et contra quando amotâ ab igni manu calor minuitur, Remitti dicitur. Intensio ergo est alicujus formæ in eodem spatio incrementum; Remissio, decrementum.

4. Quantitas est *Continua, Discreta, Contigua. Continua* est cujus partes naturali vinculo alligatæ extenduntur. *Discreta*, cujus partes separatæ sunt: *Contigua*, cujus partes immediatâ præsentia se quidem tangunt, sed non continentur naturali vinculo. homo tot membris constans, unum continuum est; homines decem Quantitatem faciunt discretam, asser a. asseri agglutinatus, aut lapis impositus terræ unum contiguum faciunt.

5. Quantitas continua tres dimensiones habet *Longitudinem, Latitudinem, Profunditatem*. Est a. *Metiri* ab unâ parte progrediendo

do ad alteram explorare, quousq; se aliquid extendat. quod fit in *Longitudinem* cum extensio ante se progreditur: *in Latitudinem*, cum protenditur in latera: in *Profunditatem* cum pars ponitur infra partem. Et *sine his tribus nullum materiale Quantum est.*

6 Longitudo alio nomine *Linea*: Latitudo, *Superficies*: Profunditas, *corpus* dicitur. esq; *punctum* lineæ: Linea superficiei: hæc corporis principium & finis. Est a. *punctum* indivisibilitas extensione carens, qualis in corporibus non datur, sed solo intellectu concipitur, cum ab uno spatio ad alterum cogitatione fluendo punctorum filum ducitur.

7. *Principium* est prima pars, ubi aliquid primum est, seu incipit: *Finis* est ultima pars, ubi definit. Vocantur *Termini*, quia sunt partes extremæ rem incipientes & finientes. Extremum a rei est, extra quod ejus est nihil.

8. *Infimum* est pars rei deorsum versus infra quam ejus alia nulla est: *Supremum*, supra quod est nulla. *Medium* quod inter extrema æquali distantiâ interjacet: *Intermedium* quod quacunq; distantiâ interjacet ad unum extremorum magis reductum deflexumq;. Quod a. hæc omnia complectitur *Ambitus* dicitur, quia est omnium dimensionum extensio sive potius illius extentionis *Magnitudo* & *Capaci-*

tas.

tas, Capit n. unum quodvis tantum, quantum intra suum ambitum admittere aptum est.

9. Est a. in Quanto continuo *Magnum* cujus extrema valdè distant: *Parvum*, cujus extrema non valde distant: *Mediocre* quod inter utrumq; interjectum est. In discretâ a. Quantitate est *Multum & Parvum*, ibi sunt unitates multæ; hic, paucæ. *Frequentia* multitudinem temporis & Rerum denotat.

10. Modi sive species aut gradus Magnitudinis sunt: *Vastum*, cujus extrema in omnes dimensiones valde magnam distantiam habent: *Longum*, quod multum ultrà porrectum est: *Prolixum*, actio vel oratio multum diffusa: *Altum*, quod est multum sursum porrectum (idem significat *Procerum, editum, excelsum, sublime,*) *Eminens*, quod suâ magnitudine supergreditur & excedit: *Elatum*, quod se in altum effert: *Tumidum & Turgidum*, quod excrescit in altum & latera: *Ingens & Grande*, quod multum latitudinis sive longitudinis habet, sive simul, sive non: *Amplum*, quod multum in latitudinem excurrit.

11. *Humile* est, quod non multùm adsurgit sursum: *Breve & exiguum*, quod non porrigitur in lineam magnam: *Exile* idem est quod parvum: *Gracile*, cujus non sunt multæ partes in latum: *Angustum*, cujus termini non longè distant.

12.

12. *Copia, Ubertas, Plenitudo, Largitas* significant multitudinem: *Nimium (superfluum)* est cum major justo adest copia: *Inopia* est interdum ubi nihil adest; interdum ubi parum. hoc dicitur & *Paucitas*.

13. Quicquid Quantitas suo ambitu complectitur *Moles* dicitur, quæ est rei *Tantitas* atq; in ordine ad mensuram ponderis concipitur. *Pondus* est rei tantitas: estq; *Gravitas vel Levitas*.

14. *Gravitas* est rerum terrestrium & liquarum ob strictam partium crassitiem nisus deorsum: *Levitas* est aëris atq; spiritibus ob liquidam ipsorum tenuitatem nisus sursum. Nimirum talem res naturam habent, qualem eis Creator dedit, quâ ad loca sibi ipsius nutu adsignata feruntur. *Terra* suo pondere deorsum tendit. *Aër* sursum: *Aqua* inter utrumq; interjecta mole gravior aëre, terrâ levior est. *Terra* sicca est & crassa hoc est partes magnas & compactas habens (unde et *Densa* dicitur, partibus crassis in amplum spatium extensis) ex quo *Duritiei et Rigor* sequitur: quia densè confarcta non facilè cedunt impellenti, vel flectuntur. unde & *Tarditas* ejus atq; *immobilitas* est: Crassè n. constipata suâ mole consistunt rigentq; neq; se ipsa in motum attollere valent, nec facilem impulsum recipiunt

unt ab alio. & tali naturâ terra cum sit prædita, suo pondere deorsum tendit. *Aër* v. est *tenuis*, hoc est partes in minimâ parvitate diffusas habet, & subtilis, eamq; ob causam *Rarus* quia compacta arctaq; densitate non est spissus, sed tenuissima fusione dilatatus; ideoq; *Liquidus & Mobilis*, ut levi negotio agitetur & sese agitet: atq; *Penetrativus* ut suis spiculis in minutissima se insinuet; atq; hinc suâ levitate sursum evolat. *Aqua* v. aliqua densitate partes aere compactiores habet, terrâ v. est rarior: atq; hinc *Fluida*, quia partium raritate undiquaq; agitabilis; & propterea *Humida* ut fluoris crassitie terrestri siccitati adhærescat, eamq; imbuat. unde etiam *Levitas* ejus & *Mollities*, atq; *Lubricitas* existit (Levitas tamen in aëre major est: Mollities crassitudinem habet, nisi id forsan nostro sensu,) quâ tactui facile cedit. Quorum habitudinem *Sal*, *Pinguedo*, & *Spiritus* imitantur, si non eorum quinta essentia sunt.

16. *Habet ergo quodvis connatum sibi pondus*, Terra, quo descendit; Aër, quo nititur sursum. nam hic sub terrâ detentus, cum non datur expirandi facultas, illam secum fert & per auram verrit: & in animalibus inhabitantis Spiritus levitas corporis gravitatem æqui libratio tenet, ne labatur; & cibo repletus jejuno

no est levior atq; agilior; & lignum vas aere plenum sub aquâ non subsistit, sed cum impetu se attollit. Ex quo aëris sursum nitentis pondus æstimandum.

17. *Est & aliud Rerum Materialium pondus*, quod cum substantiis immaterialibus commune habet, & in agendi efficacitate & eximia præstantia consistit: atq; *Valor*, *Pretium*, *Dignitas* dicitur. quo etiam *Momenta Rerum* pertinent. Voluntq; nihil aliud, quàm quòd talis sit rei habitudo, talis & tanta tantitas, quæ tale & tantum æstimium mereatur. Esta. Mereri (næ naturæ habitudine requirere, ut tale & tantum, quale & quantum est, æstimetur, & tale & tantum ei attribuatur, adjudicetur.

18. Nimirum res quævis in hoc Universo vicem partis gerit, quæ subordinata toti certoq; constituta loco certum agendi munus accepit, unde ejus Gloria & Dignitas, pro status diversitate, major vel minor existit; ita quidem, ut operibus abiectioribus destinata tãquam destituta gloriâ jaceant. Est a. *Gloria* illa rei Magnitudo, quâ sui esse eminentiâ augusta & conspicua est. *Vilitas* est illa rei parvitas, qua esse sui exilitate ignobilis est & obscura. *Fundamentum gloriæ* est illud naturæ pondus, quod illustria internæ pulchritudinis atq; efficacitatis

tatis in agendo momenta habet. nam ex illo Dignitas & Nobilitas & debiti honoris Meritum emergit; siquidem quæ magna sunt & excelsa ipsâ sui sublimitate nos admiratione & reverentiâ percutiunt, vt agnoscamus, magna in iis vtiq; Momenta sita esse, tantoq; virtutum ipsorum merito nos devinciri, quo tanta eis æstimia tribuamus, quanta ipsarum præstantia meretur.

19 *Hæc Gloria ex ipso Rerum centro profluit, atq; est essentialis earum proprietas*, non minus quam magnitudo cuivis essentiæ debita. siquidem magnitudo nulla est, quæ non ipsâ sui Tantitate radiet & nitore sit illustris. illustris a. illa ostentatio, atq; vt sic dicam, Adspectabilitas illa ipsa Gloria est, de qua loquimur, quam Magnitudo ex se fundit spargitq; sicut sol lumen. Ita illustris virtus magnifico splendore in se ipsâ eximia & glorioſa est, quæ se rectè intuentibus non fœdâ obscuraq; parvitate in conspectum fert (quomodo n. magnum tam abiectam speciem daret?) sed illâ sublimis excellentiæ ostentatione tot diffusis radiis est admirabilis; sequiturq; hæc eam gloria, non ut umbra corpus: sed vt radius ex ipsius claritate effusus.

20 *Fundamentum Vilitatis* est Rei exilitas: ut n. magna pondera ipsâ magnitudine nobis

fortem

fortem suæ gravitatis sensum imprimunt; leviora a levitet tantum & superficie tenus stringunt: ita res eximiæ & præstantes ipso nos percutientes pondere, dum sensum sui magnum imprimunt, non possunt non magnæ & illustres æstimari: quæ v. parvâ humiliq; specie obscura sui indicia exhibent, non possunt nisi talia & tanta judicari, qualia & quanta percipiuntur. Neq; rei præstantissimæ majorem valorem quisquam statuit, quam quantum eius sensu apprehendit. Hinc opinio regit mundum. Quare quæ nullâ pulchritudine conspicua deprehenduntur, *Parva, Humilia, Vilia, Abjecta, Levia* æstimantur.

21 Et quidem *inter Creata* nihil tam abiectum est, quin aliquo loco sit. *Gloriosa summi Numinis* infiniti splendoris claritate omnium lucernulã absorbet & offusis tenebris è conspectu aufert. solus n. Deus verâ & solidâ gloria eminet, res creatæ ejus umbram referunt quæ, etsi in se aliquo conspicuæ splendore sunt, in respectu tamen ad lucem summam, tantum sint umbra, quæ se ad ejus imperium movent, sicut umbra sui corporis motum sequitur. *Unde divina gloria creatæ gloriæ accessione non fit major*; sicut nec lumine augetur ardens candela, quando sui luminis umbram ad parietem projicit.

22. *Ex pondere ergò Rerum Dignitas & Meritum emergit*, quæ ipso significato respectum ad aliud trahunt. Dignus n. aliquâ re est dignus; & qui meretur, meretur aliquid. Est a. *dignitas* illa rei habitudo, quâ respicit ad aliud, quod ei æquale est; sive est rei pondus quatenus ejus natura poscit tali & tanto libramine æstimari, cui æquivalere censeatur. Meritum est ipsa dignitas rei pro sua naturâ poscens sibi tale & tantum æstimium conferri.

23. Sed hæc vocabula in universum Rei magnitudinis declarandæ adhibentur, atq; etiam trahuntur ad incommoda; ut cum ille furcifer crucem se esse meritum dicit. non n. tantum gloria, sed & vilitas suum pondus habet.

24. Quod ut intelligatur sciendum, *Mensuram ad quam pondera rerum exiguntur, ipsarum esse finem, cui destinata sunt.* Recta n. ratio eis, qui majus munus obeunt, plus ponderis & æstimii inesse judicat. Vnde quo munus & opus rei est levius atq; vilius, eo minor ipsius valor & meritum censetur: quia, ut supra patuit, consideratio finis agentem dirigit, ut, si rationaliter agit, rei producendæ agendi accommodata instrumenta præbeat, quibus illum adsequatur. Sed cum nobis rerum fines explorati non sint, neq; nostrorum sensuum

hebetudo

hebetudo earum pondus in se accurata librantis judicii trutinâ percipere valeat, de pretio cujusq; exactâ ratione statuere impossibile est. Solus creator qui novit, cui unumquodvis destinaverit, quantum sit in eis instar, perfectè intelligit: quando utiq; tantum eis tribuerit virium, quantum adsequendo fini requiritur. Nos a. ex operis conditione (quod nec ipsum perfectè percipimus) demum cujusq; officium æstimamus, non à priori, ab intentione finis, progrediendo ad facultates: neq; ex facultatum claro distinctoq; intuitu animad vertendo finem: sed ordine retrogrado ex contemplatione effectuum utraq; eminus spectando conjectandoq;.

25. Interim ex Rerum inter se comparatione discitur, quæ virium vigore atq; pulchritudine emineant. quare quæ ejusdem sunt naturæ ex distantiâ, quam ad perfectissimum in suâ specie habent, dijudicantur: quando quo quid est suæ Ideæ similius, eo sit & perfectius. Quæ essentiis discrepant, à præstantiâ effectuum majus pretium accipiunt, qui in uno præstantiores vires esse, quam in altero, arguunt.

26. Quia v. Rectum non sui tantum, sed & obliqui est index; hinc *de aberrationis à suo fine gravitate vel levitate ex ipsa operis cum fine habitudine judicandum est*. nam quò dissimilior

milior est actus Ideæ rectitudinis, eò recti cassior est, & gravior merito turpitudinis. Et quò rectè factum est glorioſius, eò malè factum ipſi oppoſitum, est vilius.

27. Sed et vocabula hæc vulgari uſu rebus vel actibus ſpecialibus applicantur. *Gravitas* est ſolida alicujus perſonæ & veneranda in ſermone & actionibus habitudo; ſive est magnitudo perſonæ multo virtutis pondere valentis. *Levitas* est, quæ ponderis exilitate est volatica atq; hinc inde facile impellitur. *Nobilitas* est eminens rei dignitas. ubi dignitas ſenſu indifferenti accipitur: quando operi res, quæ nobilis dicitur, ſuâ æqualitate reſpondet. ſunt n. tam vitiis quam virtutibus Nobiles.

28. *Dignitas* quando rectorum gloriam tantùm ſignificat, est eminens quædam & reverenda virtutis amplitudo. *Auctoritas* vel est virtutis eminentia, vel imperandi poteſtas. *Majeſtas* est ampla & reverenda agendi poteſtas. *Excellentia* est eminens rei dignitas alia ſupergrediens; cujuſmodi ſunt *Egregium*, *Illuſtre*, *Magnificum*. *Vilia* ſunt, quibus valor est parvus. & *Abjecta*, *Indigna*, *Ignobilia*, *Plebeia* vocantur.

29. Est 2. obſervandum *de valore Rerum pronuntiantes vel naturæ inſe præſtantiam reſpicere; vel ex neceſſitate uſus ſtatuere pretium;*

vel ex admiratione raritatis, vel quia rei pr reliquis placet. Naturaliter triticum tritico, & auro aurum, atq; ipsæ rerum omnium materialium differentes species ad pretii æqualitatem à creatore reduci possunt. Nostra parvitas qualicunq; comparatione de eis statuit. *Rerum a. immaterialium dignitatem valorem materialium in tantum supergredi existimaverim, ut imposita in trutinam unquam æquilibrio stet.* Sicut n. omnium subditorum dignitas in unum collata ad potestatis Regiæ fastigium non adsurgit, quin suo stat immobilis gradu, atq; gloriâ obsequii contenta imperatricis Majestatis altitudinem venerabunda suspicit & admiratur: ita Rerum materialium præstantia eminentem immaterialium sublimitatem æquare nequit, non nutriendi atq; generandi facultate vigentium: sed illustrium imagine divinitatis.

30. *Nobis vel usus necessarius valorem præscribit,* cum ingruente fame, quorum pretia supra omnia tulimus, pro pane dare non dubitamus; *vel admiratio Raritatis*, cum non tam ex usu, quam ex illo instincta, quo quis præ aliis possidere aliquid gaudet, de pretio statuitur. hinc quæ alibi communi subjecta usui parum æstimantur, aliorsum delata accipiunt pretium.

31.

31. Sed & *peculiari quidam libidine abrepti* rebus obviis capiuntur, ita alii canes ad venandum, alii equos amplexantur. ſicut n. hominum ſenſus ſunt diverſi: ita & de rerum pretiis ſententiæ; ut quæcunq; ad ſplendorem vitæ, ad oblectationem & jucunditatem pertinent, lua à ſuo fine, quem procurant, æſtimia habeant, creſcantq; valore vel decreſcant prout majori vel minori aptitudine habilia ſunt, vel ab hominum opinionibus, qui talibus capiuntur, eſſe accommodata cenſentur.

32. Ex dictis apparet, *eſſe in rebus gradationes quaſdam*, quibus ab infimo ad ſummum adſcenditur. *Gradus eſt determinata Quantitatis pars*, vel diſtantia, reſpectum ad antecedens aliquod vel conſequens habens, ut exemplo ſcalæ patet.

33. *Habet n. res quævis ſuam latitudinem certâ circuli peripheriâ clauſam*, intra quem omnia ipſius conſiſtunt; quæ extra ſunt ad eam nihil pertinent.

34. Et quidem ut individuum quodvis: ſic & ſingulæ ſpecies ſuos habent extremos limites, ultra quos non protenduntur, licet non omnia ad eandem altitudinem adſurgant. unde perfectiſſima ſunt, quæ ad ſupremum uſq; faſtigium evadunt.

35. *Datur namq; Maximum in quavis*

Specie & Minimum quantum infra quod nec descendere, nec ultra quod per naturam possunt adscendere. nam si lineas parallelas nulla distantiâ separare velis, ipsum parallelismum tollis, dum unam tantum ducis lineam: sic possunt res continuo quidem decremento minui, sed datur tandem in quo consistendum, nisi perdere planè velis. majus a. quid naturam producere, quàm producendi vires habet, impossibile est; quare datur in quovis natural maximum. Quatenus v. Deus res meliores semper atq; meliores & majores facere possit, solicitè inquirere est hominis suo otio & ingenio abutentis.

36. Quæ certo partium numero non constant, non indivisibili metienda puncto: sed limite signanda latiori sunt; ut cum populi certum, urbem, imperium dicimus. neq; n. in acervo lapidum exagitando per singulos lapillos procedendum. Est acervus, licet unus lapillus demptus sit. Quibus a. certum partium numerum & magnitudinem natura statuit, prius secundum se consideranda, antequam cum aliis in contentionem veniant. nam in suâ specie maximus pulex cum cete comparatus non est magnus; neq; hic, si conferatur cum sole.

37. Competit n. rebus *Æqualitas*, *Inæqualitas*, *Paritas*, *Imparitas*. Æquale est quod can-

eandem extensionem habet, quam habet & alterum (quod valoris ratione dicitur Æquivalens) Inæquale quod vel producitur longius, vel citra consistit. Et hæc in Quantitate continua sunt: Paria & Imparia sunt indiscreta. illa sunt, quorum unum tot habet partes quot alterum: hæc, quorum unum habet plures alterum pauciores.

38. Hinc patet res omnes *Certo Numero, Mensura, atq; pondere factas esse.* Cogita essentiales circulorum ambitus, & essentialium virium radios projectos, & deprehendes cuiq; suum Numerum, Mensuram & pondus in esse, quia Ideæ suæ omnia respondent. nam hæc sunt, quæ harmoniæ leges ponunt, quibus ad unum constituendum consensu conspirant.

39. Omnium a. apex & fastigium ille est, qui immensitatis suæ circulo omnia circumplectitur, intra quem omnia, extra quem nihil, omnibus essentiæ terminis carens Deus opt. Max. cujus magnitudo nullâ accessione augeri, aut glorioſa lux addito radio reddi illustrior potest. Nihil extra ipsius scientiam est positum, nihil extra potentiam: totus ubiq; oculus est, totus ἐνέργεια atq; vigor, qui suæ infinitate essentiæ omnium distantiarum, quas vel cogitare curiositas potest, latitudinem non æquat tantùm: sed & supergreditur. Non igi-

sur habet certa tantum, ut creaturæ, obiecta, sed omnia; non media certa, sed omnia, nulla distantiâ separata, sed intimè præsentia. Ratio est, quia à nullo est, ideo interminabilis est.

CAP. IX.

De Communicabilitate Rerum.

1. HActenus ut ex rerum vultibus radii profluant, contemplati sumus; nunc accedamus propius, quomodo illi aptitudinum radii se extraneis implicent spectaturi. hoc v. communicabilitatem vocamus.

2. *Communicabilitas est aptitudo rei ad dandum se, vel sui aliquid alii.* Communicare est facere ut aliquid sit alterius. sal aquæ salsedinem communicat, eruditionem discipulo præceptor.

3. Fundamentum ejus est ipsum *Esse* Rerum. unum quodvis n. potest, scit, vult agere. Ergo ei, in quod agit, se communicat.

4. *Duo a. requiruntur, quorum alterum dandi, alterum recipiendi aptitudinem habeat.* quare hic tria consideranda sunt, *Societas* Rerum communicabilium atq; earum *Activitas & Passibilitas*. Nam si nihil est sui causâ factum;

ctum: ergo est factum in vsum alterius: ergo se ejus usui impertire potest: ergo in aliqua agendi habet vim, ex quo usus existit: ergo illa illius actus sunt receptiva, ex quo illa sequitur Sociabilitas: quia impossibile est, ut ali quid se alterius ului dare possit, nec ei tamen quacunq; ratione sociabile sit.

5. *Deus cum simplex sit puraq; Activitas, ideo quia Deus est, propria natura necessitate est communicabilis.* Nam qui potest omnia quomodo non sit communicabilis eis, quæ potest? Creata ipsius destinatione sunt Communicabilia; quorum quodvis suo officio fungi debet.

6. Ipse n. κοινωνικώτατος Deus à nullo ad agendi necessitatem destinatus, & tamen necessitate naturæ infinitam agendi potentiam obtinens liberè ad dandum de suo aliquid aliis consilium iniit; & cum nihil esset, ad quod ipse tanquam ad superius, cujus magnitudini obnoxius esset, suas actiones referret, propriæ intuitu sublimitatis edere specimina voluit, quibus infinitum suum fastigium demonstraret. quare cum nihil ab alio, omnia à se habeat, sui causâ communicabilis est, quia Deus est, atq; sui causâ se communicare voluit. Vt cum illa, quibus se communicat, à se habere nihil, omnia ab ipso recepisse agnoscant, interne

terno simul instinctu se ad eum convertant, cujus ea sunt, atq; illa munera ad ipsius sublimitatem testandam adhibeant, quia propter id data sunt.

7. Facit a. id pro sua quodvis conditione, dum ad ipsius nutum jussumq; intenta singula, quocunq; ille dirigit, prono impetu feruntur. omnia n. pondere inditarum inclinationum vultu fixo ad propositam feruntur metam, aërea contendendo ad aërem tanquam ad elementum & centrum suum, terrestria ad terram, & ex compositis suum singula tuendo statum gradumq;; humana a. Mens, cum sui simile, cui se adsociaret, inter Materialia non inveniat, magnetico elicita tractu semetipsam in divinitatis illud centrum rapiendo, in quo solo suæ naturæ convenienter consistit quiescitq;.

8. *Radix ergo Communicabilitatis est* divinæ naturæ necessitas liberè totires, tales, tantas producens, & unicuivis sui imprimens notam, ut certo officio destinatum *Hoc Agat*. quare ex communicabilitate creatâ manifestum est, nihil sui causâ factum: ex communicabilitate a. divinâ patet: res creatas propter ipsum esse, qui eas condidit.

9. Vnde intelligitur, *quare Bonum sui communicativum dicatur*, non quod communicabi-

nicabilitatis radix in solâ bonitate fundetur; verum cum Deus non tantùm Maximus sed et Optimus sit, cogitandum est, eum interno, ut sic dicam, naturalis bonitatis sensu commotum suam gloriam aliis, quibus eam impertire posset, invidere noluisse: sed dedisse de suo, quo et ipsa haberent. atq; hunc instinctum efficaciter impressisse omnibus, ut bonitate suum referrent atq; imitarentur Auctorem, & aliorum usui sponte inservirent. Bonum n. ex fine æstimatur & tale dicitur, quando ei congruit. Deus a. certo fine omnia condidit, & quidem ut unius partes universi essent. Vnde necesse est omnia hunc accepisse instinctum ut talium partium munera inire vellent, ad quæ condita sunt. quæ est ipsa ad communicandum se aliis voluntas.

10. *Incommunicabile* est illa ineptitudo, ut aliquid sit alterius. quod vel absolutè tale est atq; impossibile dicitur, vel certo respectu propter talem conditionem naturæ specificæ. Quicquid est, aliis quidem communicabile est; sed non omnibus, nec quovis modo. omnia a. convenienter atq; aptè esse facienda rationis dictamen est. priori modo infinitas creaturæ est incommunicabilis; posteriori, eruditio asino.

CAP.

CAP. X.

De Sociabilitate, quid sit Essentiale, quid Accidentale.

1. *Sociabilitas est rei aptitudo, quâ junci cum altero potest.* Cujus fundamentum, est talis rerum habitudo, quâ Deo sic fingente & destinante se admittunt. Prima n. corporum principia in suæ naturæ simplicitate ita condita sunt ut se dare in societatem mutuam & possint & velint, atq; unum quid componere commune, quod illa omnia est.

2. *Ex quo sequitur, quicquid in primis principiis est, eis substantiale esse, & ad ipsorum pertinere essentiam.* nam cum ex aliis diversis non conflentur: neq; ea aliunde, ab aliis, accipiant, sed ex propriâ naturâ fundant, utiq; sequitur, quicquid in ipsis realium Qualitatum est, substantiale atq; essentiale esse.

3. *Compositorum a. essentia ex principiorum componentium natura est æstimanda*, ut quæ nihil aliud sunt, quam principia in unum sociata. horum igitur in illa contemperatione essentia, essentia compositi est.

4. Quod a. unum compositum ab altero diversum est, à structuræ diversitate existit; sicut Ele-

Elephanti imago discrepat ab imagine asini ex eadem cerâ formata, diversitas a. structuræ ab idearum diversitate suspenditur. Quare cujusq; compositi eam esse essentiam dicendum est, quam Ideæ destinatione ex primorum principiorum contemperatione habet.

5. *Idea a. ratio, cum nobis perspecta non sit, impossibile est, ut exacte discernamus, quid præcise ad rei constitutionem pertineat, quid non*; cujus quidem duplex causa est. Prima, quod propria cujusq; rei lineamenta, quibus ab aliorum vultibus distinguitur, non percipimus: sed ex effectuum vestigiis illam quadam figurâ pro nostri capacitate intellectus signamus. Vt n. cæcus artificiosissimam machinam manibus contrectando, atq; ejus audiendo motum, obscurâ tantum & imperfectâ imagine apud se repræsentat; illam a. partium, à qua motus pendet, exquisitam connexionem non apprehendit: ita in perceptione internæ rerum machinæ cæcis cæciores sumus, à quorum oculis contexturæ tam subtilis & exactæ tenuitas remota est. Causa altera est, tam manifesta rerum mutatio. nam consuetudine vivendi suas naturas deponere & adsumere alias deprehenduntur. Leonis invicti robur mitigatur, Lupus lacte enutritus ovino inter ovium greges sine noxâ versatur: plantæ cultu mitiorem habitum

tum induunt, & destitutæ, vel in peregrinum traductæ locum degenerant, & halitu venenato afflatæ noxiæ evadunt; ut tetro adspectu fœdæ vix tenuia pristinæ dignitatis vestigia retineant. Inter quas mutationes, quatenus rectè sese habent, quatenus non, præcisè judicio determinare supra hominis judicium est.

6. Interim manifestum est, dari quasdam internæ machinæ *fundamentales connexiones* & structuras q. radicales, quæ præcisè efficiunt, ut aliquid sit hujus vel illius speciei; quibus rectè junctis ipsa machina stat; convulsis, minatur interitum; disruptis & dissipatis, non est amplius illa species, sed jam nova: & dari *intra fundamentalis structuræ lineas quosdam ductus atq; configurationes, qua non faciunt, ut talis sit in specie machina:* sed ut ejus figura peculiari quadam conformatione se habeat. Oblongum esse aut rotundum non faciunt, ut sit facies humana: sed illæ præcisè lineæ, quæ ad expressionem ejus requiruntur. quibus si rictum leonis aut elephanti promuscidem addis, non amplius est humana facies. Nam structuræ fundamentalis compages solvitur.

7. Est ergo *Essentialitas, illa habitudo*, quæ præcisè facit, ut aliquid sit id, quod esse debet: *Accidentalitas*, est habitudinis essentialis intra latitudinem ipsius talis formatio, quæ, stante

stante essentiâ, abesse potest nam si essentiarum nulla daretur latitudo, sed in puncto consisterent omnia, accidentalis qualificatio nulla esset. quæ quidem in Deo non est quia infinita illa varietas, quæ in ejus simplicissima realitate eminet, ad essentialem ejus conceptum pertinet. non ergo potest in varios accidentales vultus fingi, cum ipsa illa cogitabilis varietas faciat, ut divina essentia sit; ad cujus essentialem constitutionem pertinet omnes possibiles varietates continere.

8. Quia v. unumquodq; rectè atq; ordine se habet, quando secundum destinationem Ideæ suo fini debitâ proportione respondet, manifestè sequitur, *ea quæ fracta viribus suo fine nihil dignum efficere valent, ex statu debitudinis excidisse & retinere generales structuræ ductus & lineamenta: sed non habere debitum illum naturæ vigorem, quo vel maximè res æstimatur.* Vt vel solum nomen, vel exiguam pristinæ dignitatis umbram retineant; sicut navis putredine corrupta & rimis fatiscens navis dicitur, licet suo sit muneri inutilis.

9. Cogitandum ergo est an equus ægrè trahens spiritum veram naturam & essentiam equi habere dicendus sit. nollem de vocabulo contendere. Essentialis illa structuræ fundamentalis compages nondum soluta est (vivit

n.

n. adhuc) & hoc sensu equus dicitur. Sed quæstio est, an illæ facultates atq; vires quæ sim, pliciter rei, ut talis sit, qualem eam esse Deus vult, necessariæ sunt, rectè accidentales dicantur? ut de sua essentiâ nihil perdidisse equus dicendus sit.

10. Illud nemo negabit, dandum esse aliquod fundamentum, cui insistentes de essentialibus atq; Accidentalibus pronunciemus. Cum dico Accidens est, quod potest abesse & adesse sine subjecti corruptione, quærendum an omnimoda abolitio intelligatur? ita sanè videmur vulgo cogitare. quando ergo homo auribus, naso, brachiis, pedibus abscissis, & erutis oculis, atq; toto corpore vulneribus lacerato, animoq; teterrimorum vitiorum morbis fœdo auram adhuc vitalem trahit, an verus ille bonusq; homo est? plantas certè degenerantes atq; bestias non amplius veras esse, non tantum recepto sermone dicimus, sed & seriò cogitamus.

11. De hisce ergo quæritur an essentiam integram habeant? si habent, afferenda est solida ratio cur habere dicenda sunt, quâ Mens acquiescat. Si non habent; ergo quædam ad essentiam pertinentia absunt. *Vellem a. potius rem respici, quam modum loquendi.* Nam & de domo incendio deletâ, cujus tantum parietes

superiunt, dicimus, hæc est illa domus: quam veram esse domum non magis quis dicet, quam partibus automati aut vestimenti solutis, verè automatum & vestimentum adhuc esse, licet ea vulgò sic nominemus. Et essentialis Rerum vita, quæ vtiq; est qualitas, an inter accidentia referenda?

12. Quare tutissimum existimaverim esse, *ad Ideæ destinationem respicere*, vt figatur vestigium cui judicium innitatur. atq; *dicenda omnia illa essentialia, quæ simpliciter necessaria sunt, ut res sit id, quod esse debet.* Quamvis n. quid præcisè requiratur, mentis meæ stupor non apprehendat, cogitationis tamen fluctuatio ad immobilem alligata est anchoram; vt in genere certo esse liceat, esse quasdam vires ad essentiæ debitudinem requisitas, quamvis determinatam earum habitudinem & gradum nequeam ostendere. Sicut neq; tu forsan poteris monstrare, quæ linearum certa conformatio ad vultus humani lineamenta fundamentalia ponenda necessaria sit; cum flexum alium admittere possit.

13. Animadvertimus quasdam *Qualitates fixas*, de quibus verum: Naturam furcâ expulsam recurrere; & *aliàs mobiles*, quas tempus, victus, Consuetudo; vis allata auferunt. Patiturse domari leo, non vrus: parus familiariter

cum

cum homine consuescit, non musca aut apis; & tamen leo catulum ferocem procreat. Et sunt, qui piscium quorundam odore percepto animis deficiunt: & elephas mures non sustinet; sicut nec quidam homines Catos. In quibus ad regulas Dialecticas exagitandis essentiales ne sint, num accidentales, vel quo tandem nomine appellandæ, nollem equidem ego πολυωνυμονειν. Interim cogitari possit illam peculiarem modificationem toti quidem speciei accidentalem esse; Individuo autem essentialiter competere, quia ex propria partium configuratione necessario emergit. Vel si essentialia dicere non placet, quia essentiæ sine eis sua constare integritas putatur, dicantur Naturalia.

14. Illa vero accidentalis rei figuratio cum debitas substantialis contexturæ dimensiones aptis linearum ductibus effigiat, *Perfectionem & decus* affert: quando extra eas progreditur, aut intra earum ambitum figuras inconvenientes pingit, *Defectum & Dedecus*. Et quidem fieri non potest, vt in vnum Individuum omnes completæ Ideæ veneres conferantur. Quin diversorum ductuum & colorum varietate gratum Spectaculum oculis exhibent atq; conditoris testantur sapientiam, qui vultum eundem formis tam diversis exprimere possit.

in

in quarum tanta varietate nulla omnes numeros habeat, nulla nihil habeat pulchritudinis: sed per multiplices gradus in unaquavis emineat aliquid, quod dignitate alia superet, sintq; ductus alii & lineamenta quorum respectu inferior aliis appareat. Quando a. structura fundamentalis luxatur & concutitur, non amplius perfectio est, sed defectus. qui eo evadit fædior, quò illa magis labefactatur; sicut major à circulo aberratio est, si quis figuram quinquelateram pingit, quam si oblongam: aut vultum humanum repræsentaturus, pingit caput asini quam faciem simiæ.

CAP. XI.

De Activitate Rerum.

1. *Activitas est ad agendum vis.* Fundamentum ejus est esse rerum: quia nihil potest concipi, omni agendi facultate penitus destitutum. Deus activus est, quia Deus est, qui absq; activitate tam esse non potest, quam cogitans sine cogitatione. reliqua activa sunt, quia à Deo sunt, singula in suis ordinibus constituente.

2. In Activitate tria consideranda se offerunt conceptu distincta, *sensibilitas*, ipsa *operandi*

randi facultas, & *Firmitas* ejus. *Sensibilitas* est vis, quâ sui sensum res alteri imprimit. *Facultas operandi* est vis sui operis productiva. *Firmitas* est solidum virium robur.

3. *Quicquid n. agit in aliud, illud quodam impetu percutit, à quo si moveatur percussum, fieri non potest, quin se jam aliter habeat ac antea.* Hoc v. perceptionem percussionis impercussio indicat; quia ipso adspectu deprehendimus, ut cucumis sese ad appositam aquam exporrigat & in longum crescat, avertatur ab appositio oleo & in rugas torqueatur; quod non fieret nisi illam actionum diversitatem perciperet. non quasi cucumis expressam illorum motuum vi imaginante hauriat imaginem, ut in animalibus fit: sed quia ne concipere quidem possumus, quomodo aliquid actionem ut convenientem sibi admittat, & aliam, ut alienam respuat, nisi vim earum discretricem naturalem haberet. Discernere a. percipere est. *Quare sicut rebus naturalibus inclinationes tribuimus, non electum appetitum effectum habentes: sed quia ipso nutu ad id ferantur, ad quod à Deo inclinata sunt: sic quoque Res naturalem alterius habet perceptivitatem, quia fieri non potest, ut quid recipiat ullum motum, aut ut eo moveatur, instituatur, ad agendum excitetur, nec eum tamen percipiat,*

quod

quod sit; motus percipitur; ergo sensibilis est; & per consequens, est in cujusq; Activitate consideranda sensibilitas, ratione cujus talis subjecto patienti innotescit, qualis est. ita terra aquam humectantem percipit, & aqua terram consolidantem.

4. Dixi, conceptu sensibilitatem ab Activitate distingui, non re: quia quicquid habet in aliquid agendi vim ea ipsa vi ei est perceptibile; ergo ipsa illa vis est perceptibilitas, de qua loquimur.

5. Sic & *Firmitudo* non est quid ab Activitate realiter aliud, sed est solida quædam habitudo, qua ejus, ut sic dicam, partes arctè conjunctæ difficulter solubiles sunt atq; suo pondere stent immotæ. Cui *volatica inanitas* opponitur, cum pondus deest & soliditas, partiumq; inseparabilitas. Unde res caducæ, fragiles, fugaces fiunt. *Soliditas a. est habitudo rei sunt um partium ubiq; plena*; ut solida eruditio.

6. Cæterum *in rebus materialibus quasi duplex genus Activitatis se offert*. Quædam sunt dispositiva, alia productiva. Non satis conveniunt voces rei exprimendæ, quæ in se tamen evidens est. nam aqua humectat quidem terram, pinguedo partes terrestres fortiter connectit, atq; quodvis elementum proprium Activitatem habet: sed interim nihil

producunt, nisi potentia calefaciens & frigefaciens accedant, quæ formant & immutant.

6. *Potentia calefaciens* est vis diffusiva, *Frigefaciens* est vis constrictiva. Illa *solvit, tenuat, diffundit*: hæc *jungit, premit, conspissat*. Vnde illa quæ valent, tenuitatem facilè se moventem, & in omnes partes agitantem habent; ubi frigus, ibi partium compressarum torpor.

7. Vt *Spirituum Immaterialium naturam* tantum obscurè percipimus: ita *quomodo unus agat in alterum*, quomodo foveat vires, quomodo opponat, fateor me non adsequi. illud certum est, quod *nullus ullius rerum materialium effectum ex se promere queat diversâ prorsum naturæ habitudine conditus*; ex qua non magis materialitas eliciatur, quam lux è tenebris. Quare cum in corporibus admirandi producunt applicantium tantum vicem sustinent. Nam humectare nihil nisi adhibito humore, nihil calefacere sine calore potest. Solus Deus infinitæ cum sit potentiæ, ex suæ fœcunditatis abysso omnia profert, quia ibi occulta latent; Creatorum vires limitatæ sunt, occultis seminibus abscondita non possidentium, quæ ex alieno centro fluunt.

CAP.

CAP. XII.

De Sensibilitate Rerum.

1. *Sensibilitas est aptitudo, quâ quid sui indicium facere alteri potest. Indicare* est facere, ut quid sentiatur, sciatur, cognoscatur: quare *sensibilitas* est potentia sui indicativa. *Sentire* est ab indicio moveri & affici atq; affectum percipere. Calor n. diffundendo corporis humores suæ diffusionis imaginem imprimit Spiritui, quâ affectus sentit se à calore moveri.

2. *Est a. unumquodvis se ipso sensibile:* quia ut propriâ habitudine est id, quod est, à quovis alio distinctum: sic & se ipso à quovis alio discretivum est. Nihil videtur oculis, nisi seipsum intuendum offerat: neq; sciri potest dulce aliquid an amarum sit, nisi in linguâ diffluens proprio motu ostendat, quale sit: & sonus acutus non percipitur nisi per se ipsum, atq; discernitur à gravi & humili. *Unaquævis n. res ut est, ita agit* (nam quomodo ageret aliter?) *& ut agit, taliter percipitur, atq; ipsa perceptionis habitudine discernitur ab alio.* Homo loquens suâ loquelâ ab rudente asino discerni-

tur; & aquæ humiditas suâ humiditate à siccitate terræ.

3. Verum *non immediatè tangibilia tantùm sentiuntur: sed & distantia.* Nam res odoriferas colores atq; sonos intervallo abjuncti percipimus. de quibus quæritur, quidnam sit, quo nobis illa innotescunt.

4. Illud certum est, *nullam perceptionem fieri, nisi res percipienda se sentienti offerat, imprimat, illud moveat.* nam movendo suâ habitudine afficit, & dum afficit, percipitur tale esse, qualiter afficit. quare etiam distantia indicia habent, quibus potentiæ sentienti immediatâ impressione innotescant. quod n. movet, tangit id quod movet. distans a, se ipso non attingit. Iam vero sine ullo motu nihil percipitur: quia quod non movet, non imprimit, non impressum, non sentitur. Sentiuntur a distantia. ergo necesse est, ut sit aliquid quod immediato contactu potentiam feriendo sentientem distantium sensum ingerat.

5. Illa v. nihil aliud sunt, quam *effluvia quædam ex ipsâ substantiâ rerum prodeuntia atq; per aërem diffusa.* Sicut n. cum ex ore aqua odorata spargitur, nihil quidem ejus oculis percipitur, in nares a. se illa vis insinuat & indicat: ita res omnes (calore excitatæ) tenuissimas quasdam sui particulas exhalant, quæ per

aërem

aërem agitatæ potentiam sentientem Qualitate suæ originis imbuunt: Hinc fit ut tempestates futuras nonnullæ aves & bestiæ præsentiant, non per naturalem instinctum, qui ab externi percussione nihil præmoveatur: sed quia jam minutissimi vapores per aërem sunt sparsi, qui in sensum facile mobilem incidentes suâ cum Qualitate immutant; unde novi animorum habitus surgunt, ut clamores tollant, à mari fugiant, hinc inde circumvolitent. Sicut n. quos collapso virium vigore movendi & loquendi tædium habet, futuri morbi ex præmissis quibusdam hostium manipulis indicationem capiunt: ita res distantes imminentesq; dispergunt à se effluxus sui generis ex quorum perceptione habitudo earum animadvertitur. Hinc vultures cadavera è longinquo percipiunt: hinc odora canum vis vestigia ferarum odoratur: hinc qui catum sustinere nequit, ejus non visi vaporibus turbatur: hinc oculi in alterius lippitudinem defixi contagium trahunt: hinc magnes trahit ferrum: torpedo piscatorum manibus stuporem incutit: lupus exhalationum crassitie raucedinem affert: elephas ferre murem nequit: & cucumis ad appositam aquam in longum crescit.

6. *Calor nihil videtur esse aliud quam lux corpora aliqua solida terminata.* Si omnia, perin-

perinde ut aër, lucí liberum transitum permitterent, præter eam nihil videretur. nunc a corporum crassiorum figuræ videntur, quia ab illis lux sistitur, sicut paries pilam sistit & repellit. Tingitur a diversimodè lux, quia corpora in quæ incidit, se diversimodè habent. Sicut n. pro sua habitudine res diversimodè linguam afficiunt; sicut manus à dentatæ limæ duritie aliter, quam a lanæ mollitudine afficitur: ita etiam lux diversas picturas recipit, pro illorum in quæ incidit habitudine. quod si quæras *quidnam illa lucis tinctura sit?* Responderem esse quandam ipsius modificationem ex ejus tali ad tale corpus situ & motu ortam. sicut n. figura corporis, non est ab ejus partibus aliqua res distincta, sed partium inter se sic positarum habitudo: ita etiam color lucis corpore solido terminatæ extremitas esse videtur.

7. *Sonus v. est ipse motus* qui aërem findendo, scindendo, serrando suæ indicium fissionis auribus exhibet. Sonum ablq; motu nullum fieri certum est. Motus omnis aërem vel aquam movet, qui nihil est aliud quam talis vel talis eorum circumgyratio; sicut videmus ut aqua baculo agitata gyros faciat. hæc fissio sensu auditus percipitur.

8. Verum hæc ita propono, ut certiora ostendenti non invitus sim adjecturus calculum.

lum; obscura n. harum sensibilitatum est disquisitio, ut eminentissima etiam ingenia de illis certi aliquid ob conditionum ad cognoscendas rerum naturas necessariarum defectum polliceri sibi non audeant.

9. Quod a. eadem sensibilitas diversos in diversis sentientibus affectus excitet, *causa ab illa proportione est petenda, quæ inter objectum sensibile & rem sentientem intercedit.* sunt qui crassam carnium pinguedinem respuunt, quia tenuis illa spiritus subtilis mollitudo ab eâ oneratur & incommodè afficitur; ita alii nequeant calci perferre saporem, non-nulli acidis gaudent, propter talem spiritus habitudinem, quem quædam congruâ impressione movent, alia incongrua.

10. Res ergo materiales ipso contactu atq; immutatione invicem perceptibiles sunt; *de sentientibus immaterialibus quæstio est super, quo ipsis materialia indicio innotescant?* Licet n. concederetur, Angelum species generales innatas habere, non tamen est probabile quod & Ferdinandi III. & Reginæ Suecorū habeat. hæ ergo ab ipsis rebus hauriendæ sunt. Iam v. non fit sensus nisi per impressionem sensibilis. an ergo materiale agere in immateriale potest & illud suo motu percutere? num v. substantia immaterialis non per receptionem res materi-

ales percipit; sed per emissionem, quod Plato de visu dixit? & si per emissionem, an ergo substantia immaterialis se ad materialem admovendo & quasi affligendo sese commoveat ipsam, sicut cum manum in corpus durum impingis? & cum saporis austeritatem & dulcedinem, cum titillantis ex humorum materialium blandâ mordacitate fingentem voluptatis jucunditatem considerat, quia eorum apud se imagines formet, quando eas in propriâ substantia habitudine nequeat percipere? ipsas autem res immateriales se mutuò percipere, sic ut materiales indubium est.

21. *Deus v. à nulla specie movetur*, quia rerum omnium imagines, antequam in existentiam prodiere, descriptas habet. Vt artifex formam ædificii, quod extruxit, non ab ipso ædificio mutuatur: ita nec Deus, vt sciat quomodo sua sese opificia habeant ad ea convertitur, interim tamen certum est, quod & ipsa intuitivâ notitiâ ex parte ipsorum complectatur.

12. Deus ergo absolutè omnia distinctissimâ imagine videt, *quoad creata est duplex sensibilitatum genus*; aliud, quod sensui creato per se & propria imagine obvium est; aliud, cujus in se percipiendi nullam vim habet: sed quod alicujus interventu indicii sive signi significandum est. qualia sunt omnes motus intellectus

&

& voluntatis Rationalis agentis. Nam vinum venale esse, cum sit respectus non ab ejus naturâ promanans: sed à possessore liberè impositus, impossibile est vt eum ex vini sapore vel gustu deprehendas. Quare vt innotescat signo aliquo opus est quod occultum voluntatis propositum indicet. hoc n. in nullius sensus se immediatè insinuat à tali causa proveniens, quæ exse ipsâ illum motum promit non impulsa ab alio. Vnde neq; Angeli interna animi sensa nisi aliquo signo prodita cognoscunt; Deus vnus hoc gaudet privilegio.

13. Sed & quando Materialia multa sint quæ hebetior quorundam sensus non animadvertit; hinc necessitate genus humanum compulsum est, vt per signorum indicia illa etiam demonstraret. & sic disciplinæ omnes traduntur.

14. Hinc fit vt *pleraq; non ex proprio sensu cognoscamus: sed ex sensilium signorum fide*, quæ cum non rem ipsam, sed ejus tantum picturam offerant, falsi indicii sæpissimè manifesta fiunt: quando illi qui aliquid insinuant, vel malignitate quadam rerum signa permutant, vt quod venale vinum demonstrare debebat, cerevisiam aut calceos ostendat; vel quando traditores ipsi rem, quam aliis indicant, non satis accuratè accipiunt.

CAP.

CAP. XIII.

De Activis potentijs Rerum.

1 NAturam rei ex illo posse, scire, velle quod creator cuivis indidit, constare diximus. Horum nunc explicatius consideranda habitudo est. In Mineralibus n. et plantis rudi tantùm obscuraq; imagine expressa sunt, vt in vnam & simplicem potentiam complicata vno actu ostendantur. siquidem in glande latens spiritus opportunum locum & materiam nactus vno impetu ad productionem quercûs prorumpit, vt quidnam possit, sciat, atq; velit ex vno illo actu cognoscas. In Animalibus a. distinctis actibus exhibentur: quando primùm canis frustum panis cognoscit, dein cogniti desiderio accenditur, quo inflammatus vires colligit, vt acquirat. quod evidentissimè in homine apparet, qui quid agendum judicio æstimat, consulit, deligit, exsequitur. Quare quæ in illis vno, vt sic dicam, caule continentur, in hisce in triplicem ramorum seriem diffusa sunt.

2. *Potentia* est ipsa vis sive virtus, Robur Efficacia, Pollentia, Facultas; cui Invaliditas, Imbecillitas, Impotentia opponitur. *Scientia*

&

& cognitio & peritia, cui opponitur Ignorantia. *Voluntas* est Proclivitas, Propensio, Pronitas, Lubentia; cui Nolantas, Displicentia opponitur. Quæ rebus rectè atq; ordine se habentibus amicabili consensu congruunt; nihil in diversum cursus suos intendentia, sed vnâ, vt sic dicam, lineâ ponentia gradum & æquabili passu attingentia metam, ad quam collimat creator. Ex illâ n. triplicitate conflata essentiæ unitas vnum sibi scopum præfixum habet, cujus assequendi desiderio frustra angitur, si exsequutiva facultas alas promptæ voluntatis sibi addi renuerit; aut si ignorantia per cæca itinera duxerit. *Nimirum uno vultu atq; oculo ad unam conversa metam respicere debent; eoq; prona inclinare atq; æquo incessu ferri & contendere.* Quod si oculis aliorsum versis vel clausis reliqua ingrediuntur iter, aut renitente inclinationis pondere in diversum trahuntur, aut in ipso cursu franguntur & concidunt, corruptionis manifestum indicium est quando luxata esse apparet quæ intimis complexibus debent esse commissa. quorum recta habitudo animadvertitur, quando singula ex suis transposita locis & invicem comparata æquâ serie sibi correspondent, ubi quævis transpositio novum sensum gignit, hoc modo.

Posse scire, velle *hoc est, habere agendi vires,*

ipsq;

ijsq; dextrè uti scire, & earundum usum velle.

Posse velle scire, *h.v. habere agendi vires, & esse promptum ad earum usum, usumq; earum nosse; contingit n. ut aliquis quidem posse aliquid, si vellet, & etsi utrumq; habet, non habet tamen agendi dexteritatem.*

Scire velle posse. *non sufficit scire rem, ut voluntas persuadeatur necesse est, utrq; hoc sciat, vires præterea adesse debent.*

Scire, posse, velle, *habet nonnunquam qui scientiam: sed non exequendi vires, ut ægri & invalidi. & quando hæ adsunt, deest interdum voluntas.*

Velle posse scire. *Velle interdum adest, sed nec potentia nec scientia. Vellet captus liberum, sed nec vires habet, nec scit viam quâ evadat.*

Velle scire posse. *Vult aliquis, sed nescit, & nisi sciat, præ impotentiâ non potest.*

3. Ille igitur omnes numeros habet, qui ad debitum sibi finem istis facultatibus ita instructus est, ut æquali complexu se mutuo contineant. ubi potentia se longius non exporrigit, quam directricis scientiæ dexteritas moderari cursum novit, nec; desiderium ultra vires & scientiam projectum est: sed æquali amplitudine & vigore ad eum concordi studio feliciter feruntur finem, cui destinata sunt.

4. Sunt a. potentiæ triplicis generis *Naturalis,*

rales, *Spontanea. Libera. Naturalis* est quæ sub pondere inclinata necessario & inevitabiliter fertur, ut lapis descendens, aër adscendens, ignis urens. *Spontanea* est quæ à specie visi imaginatrice concepta fertur, ut cum bos in pascuo hinc inde vagatur. *Libera* quæ se ipsam ad opus à nullo externo impulsa vi intellectiva admovet, vel ab eo continet.

5. *Quid Spontaneum sit & liberum non satis est manifestum, vocibus liberè abusu ad diversa traductis*, nam terra sponte fundere victum bestijs dicitur, hominibus à rogata coactaq; atq; bestias libero cursu vagari hominum consuetus sermo est. sic feras & aves è custodia elapsas in naturalem se recepisse libertatem vulgò dicimus.

6. Sed hic *Spontaneum vocamus illum animalis actum cum âspectu in phantasiâ excitatâ impetus*, quo semijugum canis de tecto cadit, naturalis pondere necessitate cadit, cum fame cruciatus à proposito cibo stimulatur non potest votandi quidem cohibere impetum; sed tamen spontanea illa vorario est, quia à cibi cognitione & expresso desiderio orta.

7. Quod ut intelligatur iciendum *in rebus materialibus nihil moveri, nisi movente atq; moto circa illud alio.* non descendit lapis, nisi remoto impedimento: non ebullit aqua nisi

ab

ab igni agitata, non ardet pinguedo, nisi ab igni inflammam versa. quare cum sensus animalis expertia semel impelluntur, sine ullo impetu, atq; ad virium suarum extremum agunt; quemadmodum sagitta impellitur, in cujus potestate non est sistere cursum, aut aliorsum se torquere vel retro vertere. Unde res in certo ordine collocatæ, quando caloris vel frigoris vi agitantur inevitabili necessitate talem producunt effectum, qualem in tali statu constitutæ producere aptæ sunt. Fit quidem *cum secundum suæ naturæ statum feruntur, naturaliter feruntur; cum ab externa vi ita moventur ut eâ cessante se in alium motum dent, dicuntur vim vel violentiam pati*, ut cum lapis sursum truditur. *Est autem violentia agentis externi vis rem aliam contra naturæ suæ inclinationem abripiam agitans.*

8. *Bestiæ vero vim imaginativam habent*, quæ cum sit materialis, excitari ab objecto etiam opus habet, vel suam imprimente speciem, vel in memoriâ eam provocante. nam, ut supra probavimus, nulla res sentitur, nisi sua habitudine spiritum sentientem perfundat. Hoc autem sine præmotione fieri impossibile est; quare non datur in animali spontaneus actus, nisi ab objecto aliquo excitatus.

9. Verum cum non cæco quodam, ut pure naturali

naturalia, impetu: sed expresso atq; explicito sensu ad opus trahantur, & naturali instinctu per rei agendæ occasionem provocato varias desiderii consequendi vias tentare, atq; diversis speciebus agitatæ in diversos motus ferri, & quibus jactentur affectibus externo indicio declarare possint; ex longè illustriori sanè principio Animalis illa spontaneitas profluit, quam pura illorum Naturalitas. Spontaneo *Invitum* opponitur quod *est spiritus sentientis motus contra ipsius appetitus instinctum.* Et tale in bestiis est, cum actuali appetitus renitentiâ contrà tendunt. homo invitus feciſſe dicitur etiam cum facto per ignorantiam commissо se feciſſe dolet.

10. Mens a. ad independentis Dei imaginem formata ad externa non ita alligata est, ut non nisi ipsorum impulsu in actum trahatur: sed ex indita vi, quia immaterialis substantia est, se ipsam inclinare in motum potest, & modis variis convertere, quod in rei materialis potestatem non cadit.

11. *Libertas ergo est illa vis, quæ justo libramine omnibus expensis dilectus potestatem habet, ut aliud præ alio sumat, vel omnia suo loco relinquat.* quam vim Græci τὸ αὐτεξούσιον vocant, quia motionis principium in se ipsa habet. estq; soli agenti rationali propria. Nam

homines cum quid fiat aut fieri debeat, nihil penſi habito cæco furore ruunt, non liberè agunt: ſed ſpontaneitate Animalis ſpiritus ſe præcipitant; quia imaginationis abrepti impetu feruntur, non rationis conſilio ſe dirigunt. Et pueri atq; inſani tantum liberæ actionis habent, quantum judicii in agendo adhibent.

12. Quemadmodum n. Animalis ſpontaneitas à ſpecierum in imaginatione repræſentatarum varietate eſt: ita libertas intellectiva inde exiſtit, quod varii agendi modi rei eidem apti animadvertantur; quorum cum quivis intentum finem conſequi poſſit, animus ſuo jure utitur, ac, quod maximè placet, eligit. Quæ *Libertas* cum circa plura eligenda verſatur dicitur *contrarietatis*; cum circa agendum & non-agendum, *Contradictionis*. Cum a. rationalis Mens unum quid neceſſariò amplectitur, non liberè, ſed ſponte facit, ſive voluntariè, actione à rationali appetitu fluente quidem, ſed ad unum neceſſariò determinato, quod rationem Libertatis excludit. Licet ſæpe aliter loquamur.

13. Quæ ſi rectè æſtimentur, manifeſtum eſt, *Libertatis vim, non in illa flexibili lubricitate conſiſtere*, quâ in omnes partes mobilis in infinita implicari volumina atq; formas apta eſt: ſed quod rectæ rationis lumine atq; regu-

lis

lis ci cum septa, suopte nixu impulsa, à nullo externo ex necessitate traducta & applicata, se in unius præ altero amplexum ultrò offerat, motu proprio in ardorem incitata, non impulsa ab alieno. Levitati atq; impotentiæ fluxa illa & lubrica flexilitas tribuenda est, cum omisso rationis judicio quocunq; fert agitq; temeritatis impetus, fertur; sicut cum manus paralytica in aliam partem fluit, quam à movente destinabatur, non argumentum naturalis roboris præbet, sed virium imbecillitatis. quo sensu quis etiam liberè peccare dicitur, quia præ resistendi impotentiâ ad illiciti actus consensum se trahi patitur, atq; ultrò incitat.

14. *Non omnia quæ recta ratio agere jubet, libera sunt:* quia ut aër ad aërem, ni quid impediat, necessitate naturali adscendit: ita Mens fertur ad Deum quando rectè se agq; ordine habet, non liberè, sed necessitate naturali. Non ergo ultimus finis liber est, neq; ipsa agendi rectitudo. *Substantia n. actus recti non consistit in nostra potestate, ut ei ex nostro ingenio aliquam accommodare formam possimus; quia, ut Deus liberrimus quidem est, nihil tamen potest agere nisi dictamini sapientiæ congruum: sic & homo agendi libertatem habet, verùm divinæ sapientiæ legibus circumscriptam.* Quare actus substantia necessaria est, ubi

ad formulam adſtringimur, varii a. ejus conformandæ modi noſtræ libertati relicti ſunt: Colere Deum non eſt tuæ libertatis ſicut canes ad venandum alere: ſed ut canendo aut fundendo preces, vel Numinis opera piè admirando id facias pro ratione circumſtantiarum tui arbitrii eſt.

CAP. XIV.

De Potentiarum Activarum habitibus.

1. CUm potentia ſit propter actum, ſequitur ut ejus ad agendum habitudinem conſideremus; quia tum ſe rectè habet, cum ſuo ritè fungi officio poteſt.

2. Sunt a. quod & ſupra obſervatum, *quædam Qualitates fixæ, aliæ mobiles.* Illæ uno ſemper modo agunt, ut ignis calefactiva vis, humectativa aquæ, conglutinativa olei: hæ ſui mutabilitate in ſtatum alium transferri poſſunt.

3. Qualitates n. materiales ex primorum principiorum contemperatione oriuntur, quæ cum vinculo inſolubili colligantur, rei faciem uniformem atq; ſibi ſemper eandem reddunt; quando ſolvi illa contextura poteſt atq; forma nova introduci, pro variorum actuum habitudine ipſa variè figuratur.

4.

4. Cum v. principia, quibus res constant, pauca sint, atq; res composita, præter ea, quæ ab ipsis accepit, nihil habeat; & ipsa principia id tantum communicent composito, quod habent; fieri non potest, quin *inter res diversas generalis cognationis vestigia ubiq; appareant*, quemadmodum supra est observatum. Nam sicut est omnium pedum communis pedis Idea: ita & est communis quædam *illius habitudinis* facies, quâ Avis, Canis, felis, & quæcunq; blandius ac familiarius se homini offerunt; quam in homine humanitatem vocamus.

5. Quare cum communi loquendi usu hominum quosdam lupos, alios oves, nonnullos asinos, leones, vulpes dicimus, cogitandum est; esse in ipsis revera talem Spiritus constitutionem, qualis in bestiis deprehenditur. Nam ut solum sal salit, sola aërea & aquea tenuitas terram mollem & tenuem reddit: ita tantum talis spiritus conformatio tale edit opus. quod cum in animalibus pluribus deprehenditur, argumento est, omnibus illis commune inesse principium, à quo illi actus eduntur; sicut omnibus inest sal salsum humorem habentibus.

6. Vnde in materialium Activitatum habitudine exquirendâ exacta diligentia & judicio opus est, quod actus inter se comparet, convenientiam mutuam & discrimina notet,

atq; in quâ sive specie sive individuo illa qualitas, quæ talis actus principium est, maximè eminet, attendat. Nam ut literas ignotas majoribus characteribus scriptas, facilius discernimus & memoriæ mandamus atq; minutas illas & confusas ex istarum comparatione agnoscimus: sic ex claris linea mentis, alibi existentibus, obscuras alterius facici notas facilius deprehendes.

7. Quare cum flecti & Aurum, & Arboris vimen, atq; Animalium Spiritus videam, colligo esse aliquid quod illam eis aptitudinem præbeat. quodnam v. istud? non terra neq; sal, quæ duritie rigida, cum adhibetur vis, rumpuntur: sed fluidi quid, quod diductionem admittit. Neq; tamen eorum quod vis, quia quæ glutine colligata facile solvuntur: neq; poterit ille animalium spiritus solâ aquositate, quæ ignavior est tanto vigore sese agitare. Quare erit fluor aliquis oleosus sive pinguis, qui suâ tenacitate partes arctè contineat, atq; fluiditate flecti sinat, & calore valens sua fermentatione producat aurum, vimini q; & Animalis corpus succo vitali irriget. Cum ergo Materia crassior, tenuior, durior, compactior, ratior, copiosior spirituum vim variis modi temperet, atq; singula in rei constitutionem ingredientia pro sua habitudine varias contextu-

turas & schematismos faciant, hinc tanta inclinationum nascitur diversitas, ut sicut vultu externo distinguuntur: sic & internâ configuratione diversa sint.

8. *Ex harum potentiarum diversitate actuum existit diversitas:* quia dum quodvis naturali suo pondere fertur; atq; illa pondera ex varia variorum commistione per appositionem, detractionem, transpositionem diversa sint, fieri non potest, quin actus sint diversi. Et cum quodvis, ut supra patuit, certam virium extensionem habeat, hinc solùm agit tale & tantum, quod, quale, quantum potest.

9. Et hæc quidem in Activitatibus materialibus aperto sensu animadvertimus; substantiarum immaterialium habitudinem nos non percipere sæpe est dictum. Quare neq; certò scire possumus quæ, qualis atq; quanta inclinationum inter ipsas sit diversitas.

10. De harum ergo Activitatum habitudine dicendum; & de fixis quidem, quia eadem similium actuum tenore semper agunt, quomodo se se habeant, multa dicere nihil attinet (nam eodem se semper modo habent) mobiles frequenti agendi exercitio novo habitu indui & adsumere consuetudinem dicuntur. Quod, quid sit, explicandum.

11. *Consuetudo est usitatus essendi, agendi, patiendi*

patiendi modus. Vſitatum eſt, quod in uſu eſt: in uſu eſt, quod frequenter eſt vel fit. Vſitatum eſt obvium amicum ſalutare, poſt cibum fundere preces. traduciturq; ad ipſam naturam conſtantem in ſuis actibus tenorem ſervantem. Vnde de beſtiarum, imo arboris & ignis conſuetudine loquimur. atq; idem eſt, quod ſolere, ſive ſolitum eſſe; ut canis avidè vorare ſolet.

12. *Diſpoſitio* pro quacunq; habitudine accipitur, ut corporis diſpoſitio bona vel mala, homo ad agendum diſpoſitus. Eſt n. diſponere certâ figurare formâ, ut tale ſit.

13. Hoc loco tales potentiarum habitudines intelligimus, quæ non ab ipſa rei naturâ emergunt: ſed uſu & exercitatione ſuperinducuntur. Vt *illæ tantum potentiæ habitus capaces dicendæ ſint, quæ in alias atq; alias formas ſe fingi patiuntur, iiſq; inducta certa opera producunt.* Rerum n. natura non in puncto infectili conſiſtit: ſed latitudinem habet, ut variarum inclinationum vultibus fignari apta ſit. Quæ v. in alias ſe fingi formas abnuunt habitus incapaces ſunt, ut muſca cicurationis, aſinus ſaltationis.

14. *Eſt ergo habitus rei firma habitudo agendi promptitudine & facilitate valens crebri actionum exercitio acquiſita.* Sic ſcribendi rudia

dis longo scribendi usu expeditè pingere literas discit quia spiritus iisdem motibus sæpè agitatus in talem tandem, ut sic dicam, consistentiam confluit, ut, cum scribendum est, jam ultrò ad ejusmodi motus efformandos se inclinet. Hinc *causa nulla est cur hestiis habitus denegemus*, cum manifestissimè eorum actus in ipsis deprehendantur. Neq; n. quod ratione carent, eorum in capaces sunt; cum capacitas hæc non præcisè in rationalitate fundetur: sed in potentiæ flexilitate novæ habitudinis receptivæ.

15. Dico *habitudinem firmam & robustam*, ut à dispositione distinguatur; quæ significato strictiori est habitus inchoatus. non n. uno actu perfectus habitus inducitur: sed cum tempore res usitatæ & familiares fiunt. *Acquisiti a. habitus indicium est*, cum quis in se facilitatem & promptitudinem ad agendum sentit. ita scribendi habitum contraxit, cui memoria nihil cogitanti literarum figuras suggerit, atq; manus promptè & absq; operosâ difficultate pingit.

16. Quod *si potentiæ debitam promptitudinem & dexteritatem à naturâ haberent, nihil opus esset consuetudine habitum acquirere*. nunc natura per gradus adscendere amat, humanæ industriæ multa relinquens, à quâ si destituitur,

tur, torpore correpta inerte jacet perfectionis suæ complemento fraudata. Sic adamantes deformes profert, sic aurum impurum. sic triticum purgandum, in farinam conterendum, fermentandum, coquendum, ut in cibum salubrem evadat. Et ab nativitatis incunabulis omnia infirma sunt, maximè homo, qui in illis, quæ ad eum, quatenus homo est, peragendis, spectant, ingentes difficultates experitur; quando bruta animantia sua vel naturâ duce promptè munia expediant. Et quamvis pœtæ non fieri, sed nasci dicuntur, excolenda est tamen illa naturæ peculiaris inclinatio, ut rectè sese habeat.

17. Quare *intentâ curâ, quid valeant humeri vestigandum*, ut in omnes versati partes, quo pedes ferre liceat, & quousq; capto experimento discamus. *Quantum cujusq; natura valeat, nemo forsan plenè novit.* Pleriq; in magnâ sui ignoratione versantur. Multa supra naturæ facultates opinione posita laboris improbi tandem pertinacia expugnavit, & familiaria reddidit. Juvat per gradus ire, ut sensim durioribus ad suetis & difficilioribus laboris amor nihil cogitantibus obrepat, & ex profectu, atq; progressu animus spe ampliori inflammatus ad majorem virium contentionem urgeatur. Sic Milo Crotoniates quotidie vitu-

lum

lum circumgestando effecit ut tandem bovem in humeros sustuleric.

18. *Vanus a laboris conatus est, nisi potentia sit apta, cui consuetudine habitus introducatur* Ex punice aqua non exprimitur, nec literis imbuitur crabro. *Natura ad opus idoneum reddit aq; habilem, usu & exercitatio facilem & potentem.* Hinc *consuetudo altera natura dicitur*; quia nova forma tam profundè infigitur, ut pari inclinationis pondere ad actum trahat, ac si à naturâ inserta esset.

19. *Habitus acquirendi medium est illa vis imitatrix*, quâ quis facere idem potest, quod alium facere videt. Hæc in naturæ fundatur similitudine: quia iisdem agendi facultatibus instructos ipse alieni operis adspectus excitat atq; ad idem agendum trahit. Nam ut oscitante uno & alter oscitat: ut qui videt alium rem amaram edentem & ipse frontem ac supercilia contrahit: ut alieno dolore dolemus: ita in universum illa intercedens inter facultates ad res easdem inclinatio & aptitudo, quibusdam quasi nervis trahit atq; provocat, ut quodam se nutu ad idem opus applicent. quo fit, ut nonnulla nihil tale cogitantibus aut volentibus temere adhæreant, velut cum aliorum gestus aut loquelam aut vivendi consuetudinem familiares adsumunt.

20. Est ergo *facultas imitatrix aptitudo faciendi operis ejusdem, quale ei similis fecit.* Se aptum esse ipso operis sensu exsuscitatus quis animadvertit, sicut sentit infans se lac attrahere posse, quam primum mammis os admovet. Qui imitatur rei agendæ apud se speciem concipit, cui dum attendit inclinatione quadam & nutu se ejus tractui accommodat. quod evidenter apparet in iis, qui ad aliquam rem insigniter appositi sunt. Hinc puellæ Matrum familias, pueri Architectorum & Militum officia obeunt.

21. *Hæc via discendi fundamentum est.* Nam *discere nihil aliud est quam imitatione sequi præeuntis Magistri exemplum & per vestigia ejus incedere.* Primarium exemplar Deus est, cujus sapientiæ imaginem, cum mens humana circumferat, hinc ex divinorum operum adspectu similia tentat, atq; ad finem intentum accommodat. quo fit, ut artificialia cum naturalibus, si quæ officii similitudine conveniunt, ipsâ etiam conveniant formâ: quia supremus artifex hominem sua artificia imitari docuit. Refidetq; illa ad imitandum aptitudo non in rationali tantum mente: sed & in Animali Spiritu. nam & luscinia suum moderari cantum à parentibus discit, & carduelis fringillæ melos modulatur, & psittacus atq; pica voces loquuntur humanas.

22.

22. *Est ergo habitus potentiæ politura de cultus*, sive proprio, ut sic dicam, Marte introductus, sive ad imitationem effigiatus aliorum. estq; tum demum potentia perfecta pulchritudine insignis, cum omnibus suis partibus exasciata est. Integritas n. ejus in universa aptitudinum latitudine consistit, perfectumq; poliendo cultum accipit, cum totus ipsius vultus multiplici exercitatione debito nitori redditur. Nondum perfectæ imaginis exemplar à pictore expressum est, quando oculorum tantum venustatem aut decus oris colores repræsentant, adjicienda reliquarum quoque partium gratia; quarum effigiatio si indecori quid & distorti habet, toti imagini convitium facit, licet reliquas partes exquisitæ.

23. *Illud. habituum nitor major esse non potest, quam potentiæ conditio permittit.* & ferrum, & plumbum, & stannum, & *argentum*, & adamas splendet: sed insanus sit, qui terendo poliendoq; adamantinæ rutilationis jucunditatem addere ferro velit. Non omnibus licet esse æquè formosis, acutis, validis; corrumpiturq; attrita ad cotem ferri crassities, acutie chalybis firmitatem nunquam æquat.

24. *Quamvis a. una potentia multis rebus apta sit, eadem tamen dexteritate omnia tractare non potest*, quin in lata se spatia effundendo dispergi-

dispergitur, atq; dilutâ, ut sic dicam, flagrantis vigoris vi mediocris tantum opera producit. Causa est actionum varietas, & potentiæ imperfectio, quæ tanta tam multiplicis varietatis mole obruitur, ut citeriori omnia termino consistant, quam singula proveherentur, si eis unicè cultus accommodaretur. Nam dum uni-formando incumbitur, reliqua non satis firmata labascunt, vel neglecta nullo incremento surgunt, quia sensus & vis pluribus intenta ad singula minor est. Hinc *cum dicitur potentia, quæ nunquam in actum deducitur, frustra esse, non de singulis ad quoscunq; actus possibiles inclinationibus intelligendum est, sed tantum de principalibus ad quas res præcipue est destinata.* neq; n. frustra vinum est, etsi numquam inebriaret: neq; ego frustra pedes habeo, etsi non possim saltare. Imo nec Deus omnia, quæ potest, facit.

25. Ex his ratio apparet *cur insolita insuetaq; usu familiaria fiant.* Nam disproportio, quæ antea intercedebat nobis in illiorum habitudinem compositis effigiatisq; sensim extinguitur, ut congruere nunc nostro sensui deprehendantur, à quibus prius abhorrebamus. Sic flagitia, quorum nomen auribus non sustinebatur, ipsa frequentiâ æstimium turpitudinis amittunt, & in peregrinas regiones delati;

quæ

quæ primùm inepta & ridicula videbantur, mox mutato judicio ut elegantia & commoda prædicamus.

26. Longus n. agendi usus rei, quæ agitur, nos habitudine imbuit atq; ipsi similes reddit, ut alacriter atq; promptè ad idem agendum feramur. Quare ut exercitationis continuatio habitum conservat & roborat: sic intermissio concidere facit, donec tandem obducta rubigine splendor penitus evanescat, præsertim cum in contrarium tenditur.

27. Tandem quid propriè *sit substantia habitus* ex dictis eliciendum. Manifestum illud est, cum manus ad scribendum habitudinem considerabamus. Quid n. ei factum est ut nunc prono impetu fluat, quo prius vi & magnâ cum difficultate adigebatur? Nimirum Spiritus crudus atq; informis talem nunc figuram induit, cujus dispositione sic propendet, ut ultrò ad talem actum inclinet. Per speciem n. memoriæ impressam atq; frequentatam ejusdem actus repetitionem spiritus in talem habitudinem disponitur, ut ad opus conversus ipso illius in se genitæ inclinationis pondere eò trahatur; sicut naturaliter in os influit & linguam humore imbuit, cum cibus desideratus offertur: aut sicut se conjicit in oculos cum rei pulchræ adspectu frui vult. Nam ut rei objectæ

species

ſpecies ſive cogitatio in os vel oculos impellunt: ita per agendi conſuetudinem in talem induitur diſpoſitionem ut in aliquem actum ſe pronus ferat. unde pueri ſaltandi artem edocti ipſo in publico ingreſſu motus ad numeros componere, nihil tale cogitantes, deprehenſi ſunt.

26. *Hæc 4. inclinatio non eſt additio majorum virium, quibus potentia prius deſtituta erat: ſed eſt Spiritus quadam, ut ſic dicam, effigiatio.* Sicut n. acuties cultri non eſt à cultro rei alicui ſed ipſius ferri in talem formam poſitio: ita & habitus eſt rei agentis diſpoſitio ſive forma, ſive modificatio. Et ut acuminata ac aſpera pungunt, quia aculeos & tumores habent; æqua a. ipſâ lævitate planitiei ſenſum ingerunt: ita etiam ſpiritus aliter agunt atq; aliter, prout flexi ad aliquid agendum ſunt. Quare non aliud potentia, aliud ſuper additus habitus agit (quaſi duo equi unum currum traherent) ſed una utriuſq; eſt operatio: ſicut ſectio non procedit partim à cultro partim abacie: ſed à ferro in hanc formam facto.

27. *Diſtinguuntur habitus in Acquiſitos & Infuſos.* De acquiſitis hactenus egimus, *Infuſi ſunt adventitia ad rectè agendum aptitudo à Deo indita.* Suntq; duplicis generis; vel n. humanis viribus non ſunt parabiles ut fides

&

& charitas, & absolutè supernaturales dicuntur; vel sua natura parabiles sunt, ut ars architectonica Bezaleeli infusa.

28. *Dividuntur & in Intellectuales, & Morales.* Illi intellectum formant; hi appetitum. Illorum ab Aristotele quinq; enumerantur. Intellectus, sapientia, scientia, Prudentia, Ars; hi sunt virtutes & vitia, fortitudo Temperantia, Injustitia &c.

CAP. XV.

De Rerum Activarum Vigore, Vita, & fœcunditate.

1. RErum Activitatem habere vigorem, & in vigore consistere vitam, & unumquodvis in illo vitalitatis thesauro operum sibi congruorum semina continere, eaq; proferre posse, ipsa earum habitudo non oscitanter cogitantem docet.

2. *Vigor est rei robur.* Vigere dicuntur res, quando efficaci promptāq; alacritate se jactant. *Efficacia* est efficiendi vis. *Alacritas* talis est virium habitudo, quæ nullo detentæ impedimento ex se actum facilè promunt. *Eos*

u. promptos & expeditos atq; strenuos dicimus, qui rebus agendis & facultatem & cum facultate, celeritatem atq; facilitatem adhibent. Celeritas est illa efficacitatis habitudo, quâ se intra tempus parvum multum movere potest. *Facilitas* est quâ suæ actionis cursum sine interruptione, hæsitatione, alternatione continuo progressu conficit; quarum utraq; in virium robore & alacritate fundatur.

3. *Vnde quò major est agendi vis: eò & vigor.* Sunt n. quæ rapidissimo cursu feruntur; quia ingenti virium pondere valenter se agitant, cum quibus alia comparata tardo torpore impedita uno puncto hærere videntur.

4. *Est a. tarditas rei intra longum tempus exigua mobilitas. Torpor* est ad se in motus vehementiam concitandum ineptitudo.

5. *Vigor à Spiritu tenuis calore: torpor à Spiritus crassi frigore exsistit.* Leve facili motu impellitur, terrestris & aquea crassities ignava immobilitate stat. Ignea effundunt se, & materiæ subtilitate, facili flexu, in se ipsa convertuntur atq; perpetuâ agitatione inquieta sunt: frigida in densitatem coagulata suâ mole consistunt & ad agitandum se inepta sunt. Quare quo copiosior atq; ardentior est Spiritus, eò major est activitatis vigor & concitatior. Nam elephas tardum est animal; quia tanti corporis vasti-

vastitati in celeritatis impetum incitandæ spiritus non sufficit, cujus copia atq; vis si justa proportione ei responderet, eadem celeritate illud raperet, atq; spiritus equi sui corporis molem secum ferit.

6. Quare sicut in rei Quantitatem inquisiturus, primum eam secundum habitudinem naturæ specificæ considerare debet, antequam cum aliis contendat: ita res in se vegeta esse potest licet cum aliis comparata tarditate notetur. Datur summa hominis celeritas, datur & hirundinis. Hinc tardè incedens vir puero celeriter se movente majus spatium conficit. Estq; non tantum potentiæ loco-motricis suæ vigor: sed & nutritivæ, & sensitivæ. unde ad percipiendas disciplinas elephas equo promptior est.

7. *Vigor ergo Perfectio Robore, Celeritate, Indefatigabilitate absolvitur*, cum res activæ non tantum penetrantes sunt: sed & in illa motus celeritate solido robore sui plenæ (hoc supra firmitatem diximus) non diffluentes & dissipabiles, quod ex contrario patet. Nam *Marcor est vigoris debilitas*. vigent n. arbores cum virent, germinant, florent; emarcescentes vultu exili & flaccidâ præditæ sunt. Marcor succulentiam in quâ viriditas consistit, tollit. Torpor mole materiæ constringit

& hebetat, atq; ad movendum impotentem reddit. Et ut arbores, sic Regnum opibus floret, & viret efficacitate roboris ac virium: atq; ingenium celeri intelligendi facultate vegetum est. Deus a. totus est vigor, quem Philosophi quidam veteres Ignem putarunt ob incomprehensibilem vim atq; efficacitatem.

8. *Rerum creaturarum vires quò longius à suo centro progrediuntur, eò vaniores fiunt.* Nam lumen per gradus languescit, & odorum effluvia. Imo vehementiori concussione agitatæ obtunduntur; quod in rebus materialibus ab earum solubilitate procedit. An tale quid Angelis obtingat nihil habeo dicere. Divina vis, quia infinita est, ut nunquam concitatior fit: ita nec vanior.

9. Inter Materialia interdum *vis unita fortior est, interdum sparsa & convenientibus locis applicata.* illo modo aqua uno alveo fluens majorem habet vim, quam in multos rivos dissipata; hoc modo odorifera fracta odorem majorem spargunt. & plures candelæ intervallo separatæ totum conclave magis illustrant. & magnes in duas partes fractus fortius trahit.

10. *Vita est ipse rei vigor sive vigoris secundum naturale suum posse, scire, velle, operatio.* nam utrumq; concipimus, cum vitam cogitamus.

mus. Triticum in granario omni actu vacans suo vigore vivit, & vivit efficaci motu cum in caulem erumpit.

11. *An omnibus in universum rebus vita attribuenda sit* inter Philosophos ambigitur. sunt qui eam Plantis tantùm, Animalibus atq; Spiritibus immaterialibus tribuunt, unde *in vegetativam, sensitivam, Spiritualem dividunt*; & sunt qui definitionis terminos laxantes etiam metalla atq; Lapides vivere affirmant. Quæstio est, utri melius loquantur. nam qui metallis vitam derogant, eorum viribus nihil detrahunt: sed eorum tantum operationes à vitali principio provenire inficiantur.

12. Putaverim eis vitam competere, sicut & perceptiones, inclinationes, Aversationes competunt. Non quatenus secundum habitudinem vitæ animalis æstimantur, sed quatenus propriæ suæ Ideæ conveniunt. Vita n. arboris est nutriri, germinare, florere: vita animalis imaginari, odii & amoris affectibus duci; vita mentis cognoscere & judicare res atq; liberâ voluntate ad agendum procedere. Ad quam operationum diversitatem qui attendit, necesse est, ut tandem communem omnibus rationem inveniat, quæ vitam ipsis tribuere jubet, quæ esse alia non potest, quam quod *suo unumquodvis vigore efficaciter se ostendat in operibus*

licet disrepantissimis. Nam inter cogitare & proferre pyra, inter amare Deum & succum è terra extrahere, quæ convenientia est, & utrumq; tamen actus vitalis existimatur?

13. Quare cum metalla non intus adsumpto atq; per internos meatus sparso alimento nutriantur: sed per externam partium appositionem augeantur, dicendum utiq;, ea vitam Plantarum minime vivere; sicut nec planta vitam vivit animalis quia non videt, nec tangit; Vivere tamen vitam mineralem cur non dixerim? nam si nutritio est actus vitalis, cur non & generatio? Metalla a. generare constat. Quare omnia composita vivere dixerim, quæcunq; aliquo spiritu vigent.

14. Interim verum est, quod *Metallicus spiritus intra crassi duriq; corporis integumentum otiosus jaceat; Plantaris a. calore suo in a. Etum suscitatus novus semper operâ molliatus.* Hinc intra corpus mollius perpetuâ agitatione viget sui tantum generis succum trahens, quâ discretrice vi Metallicus non indiget. Nam mineralia sine delectu omnia constipant, aurum, terram, argentum, cuprum, lapides in unam massam confundunt unoquovis in illâ commistione suæ naturæ integritatem tuente. Spiritus a. plantarum vi actus suscitati nisi cognata jungentur certamina miscent, ex quibus

bus totius corporis concussio & interitus sequitur. Vnde Plantarum vitam habentia *Animata* dicuntur quia suo motu vigent; Metalla sunt *Inanimata* quia ipsorum spiritus non movet sese intra suum corpus, & opus producit, sicut surculum & florem, & fructum profert arbor.

15. Materialium substantiarum vita, ut in vigore Spiritus intra corporis claustra contenti consistit: ita partibus solutis & ipsa evanescit. Quando, unoquovis pro suæ naturæ habitudine agente, tacitis illapsibus unum se alteri insinuat, rodit, pungit, laxataq; dispergit, quæ dispersio, sive totam corporis compagem solvat, sive solum spiritum, Mors dicitur.

16. *Fœcunditas est virium plenitudo, quâ quid proferre aliud aptum est.* Mulier & terra fœcunda sunt, & ingenium. Dicitur & Fertilitas, Feracitas.

17. Divinæ fœcunditatis fundamentum est illa essentiæ infinitas, quæ realitates omnes in se complectens eò ipso imitabilis est. Res creatæ quales sunt, talia producendi potestatem & mandatum acceperè, cujus vigore novorum subinde operum proventus fit, dum arbor arborem, Leo procreat Leonem. Substantias Angelicas sui simile non producere Christo affirmanti credimus; Num id ipsorum naturæ simplici-

simpliciter repugnet, mihi non compertum est. Illud certum est, quòd Deus alium Deum à se diversum producere nequeat. An perrationem naturalem constare possit, divinam essentiam pluribus personis communicabilem esse dubito.

CAP. XVI.

De Rerum Communicabilium Patibilitate.

1. *Patibilitas est ad recipiendam actionem aptitudo.* Vt non est communicabilitas, nisi sit Activum, ita nec est Activum nisi fuerit agibile. hoc a. patibile est.

2. Nimirum omnia hujus universi partes sunt: quare necesse est, ut mutuis actionibus passionibusq; sui usum unum alteri communicet. *Neq; de candelâ tantum verum est, quod inserviendo aliis ipsa consumatur, quando ardendo minuitur & desinit: sed de corporeis omnibus, quæ sui usum dum præstant aliis ipso,* ut loquuntur jurisconsulti, *abusu pereunt.*

3. *Omnis namq; materialis substantia, eoipso dum agit, virium suarum decrementum patitur;* quando multo motu agitata solutâ compagis firmitate in raram tenuitatem fusa in au-

ras evolat. *Actio n. materialis fit, cum agens sive tenui effluvio afflat passivum, sive virium suarum ponderé se ei involvit, vel opponit, aut alteri se tradit totum.* Primo modo rosa suos spiritus per aërem in nares spargit; altero, cum homo ligna cædit, vel onus portat, aut se opponendo alterius impetum tardat: quarto cum nutrimentum se corpori nutriendo communicat. Vbiq; patibilitas & passio est, atq; in ipsâ actione virium imminutio. Nam rosa tot spirando exhalationes tandem exspirat ipsa; & frangit virium robur alterius resistentia; & quæ nutriendo aliorum fiunt, quamvis magnâ virtute valeant, passiva tamen sunt, quia propriâ naturâ amissâ in aliam transmutantur. *Ita ut corporeum nihil sit, quod non in ipso actionis impetu aliquid patiatur.* Nam non tantum materiæ aliquid decedit (ut cum ferrum ipso usu tritum minus mole fit) sed & vires vaniores evadunt. Vel n. motu liquescentes dissipantur, vel imbuuntur ejus, in quod agunt, qualitatibus atq; hebetantur. quod cum fit, nos Defatigationem dicimus.

4. Constituit n. Sapiens Creator, ut *hujus universi partes suis se qualitatibus tingendo acuant, obtundant, temperent, invertant*; quod facilè intelliget, qui illas ex rebus effluentes exhalationes cõsiderat, quibus se mutuo afflant.

5.

5. Patibilitas, quod supra est observatum, vel in *positiva Qualitate* consistit, *vel in privatione*. Nam quod aqua aquæ, oleum oleo se associet & omnis pinguedo alii tenaciter hæreat: quòd spiritus sensitivus sonos & odores percipere potest, in illâ fundatur activitate, qua manus se aperiendo aliquid complectitur & tenet. Tenere n. quamvis actio sit, supponit tamen ex parte tenentis manus receptivitatem quâ à re, quæ tenetur, affici atq; immutari potest. Fragile a. esse & caducum atq; fugax, à privatione virium est.

6. *Hinc patet passivum pro sua habitudinis conditione actionem recipere & ab eâ immutari.* Non labefactat lapidis firmitatem levior ictus: non sentit callosa manus impressiones leves: non aquæ teporem manus calida: non aëris humiditatem corpus aqua perfusum. Agens n. ut sentiatur, movere & immutare patiens debet (ergo debet esse passivo fortius) & passio specificatur ab habitudine passivi. Nam cum lignum ardet pinguedo in flammam vertitur, aqua in humores tenuatur, terra in cineres dissipatur, non quia ignis cujusq; partes solvit: sed quia ea est singulorum natura, ut calorem experta sic mutentur. Non ergo è quovis ligno fit Mercurius.

7. *Angelicas mentes esse Patibiles patet*, quia

quia creatæ sunt. nam & Deo agenti parent & obnoxiæ sunt, & ipsæ agunt in se mutuo. quod quomodo fiat fateor me non adsequi; ita conceptibus materialibus alligati sumus. Quæ causa est vt hisce omissis rerum tantum materialium conditiones explicamus, cogitatione quâdam similitudinis ad eas transferendas. Deus v. solus pura est & simplex Activitas nullius actus ab externo ingesti receptivus.

CAP. XVII.

De Vtilitate Rerum Communicabilium.

1 *Vtilitas est rei commoda ad aliud applicabilitas.* Applicare est jungere quid alteri, sive vt agat, vt cum culter pani applicatur, vel vt hæreat, cum vulneri applicatur emblastrum. dicitur & *Adhibere, Accomodare, Adaptare.*

2. *Fundamentum est mutua Rerum aptitudo, & ex eâ emergens Activitas & Passibilitas.* Nam incommodum quod est, non est vtile, neq; commoditas quævis vtilitatem constituit, sed quæ respectum ad actionem vel conservationem habet. Cultri apta figura ad scindendum, panem vtilis est, non quod aureum manubrium habet:

habet: vtilis est servando cultro theca, non quod gemmis distincta est. Nam illa ad ostendendam excellentiam, quæ ex opum possessione captatur, vtilia sunt; quo ipso aliquis actus ad aliquem finem tendens involvitur.

3. *Hinc nihil absolutè, prout in se est, est utile*: sed quatenus refertur ad id, cui commoditatem præstat. Adamas quercui aut porco ornando non est vtilis, sed homini. Vtile n. dicitur quatenus vsui alterius inservit, hoc est quatenus alteri bonum est. nihil a. sibi ipsi servit. Vtilitas ergo respectum ad aliud dicit, scilicet ad illud, cui habile est.

4. *Invtile est quod ad aliquem finem adsequendum est ineptum.* Quod a. alterum labefactat, aut perimit, *Noxium & Pernitiosum* dicitur. Nolunt n. in societatem mutuam applicari, & cum se contingunt, conflictu virium concurrunt, quia ob disproportionatam habitudinem se mutuo ferre nequeunt. Humor serpentis homini noxius est, quia ejus spiritum perimit; alijs est vtilis, quæ aptò nutrimento alit. Hinc venenatum esse, non est absoluta Rei Qualitas, sicut humidum vel calidum: sed respectum involvit disconvenientis nutrimenti ad id cui venenum est.

5. Quare si totum vniversum cogitatione complectaris, *nihil inutile est*; quia Deus omnia certis

certis officiis destinata certo fine condidit. Quod a. finem habet, vtile est, ad cum finem, ad quem est conditum.

6. Quia v. de fine constituere non cuivis jus est, sed ei tantum, qui creando omnia pleno Dominio possidet, *id solum esse vtile existimandum est, quod ipsius destinatione rebus adhibendum*, non quod sapientia humana decernit. is n. solus plenè nouit cui fini vnumquodvis paraverit, & qua viâ illum obtinere possit. quare quid cuiq; illi assequendo maximè aptum sit, ipse vnus intelligit.

7. Vnde *res à sua debitudine prolapsæ eò ipso sunt inutiles*, quia commodam illam applicabilitatem amisere. Et cum homo suas vires non ad ea adhibet, ad quæ à Deo destinatæ sunt, inviliter ac noxiè agit. non n. suis vitam ducere auspiciis ei fas est: sed ad creatoris legem se conformare tenetur.

8. Hinc sequitur, *quicquid Deus suis immittit, esse vtile*, licet sensibus humanis grave & intolerandum videatur. Sicut n. amara potio pellendo morbo revera utilis est; alia a. quæ linguam suavitate perfundunt, noxia: ita belli morborumq; atq; famis mala, & quæ calamitates aliæ acerbo sensu ingratæ sunt, Dei voluntate immissa, vtilia salutariaq; existimanda. Et vt vni amara potio, alteri condimentum ex

saccharo est vtile: ita quibusdam honores, divitiæ, eruditio: alijs morbus, contemptus, inopia accommodationi sunt.

9. *Ex sensus ergo corrupto judicio pronunciatur quando blandè afficientia κατ' ἐξοχὴν bona dicuntur.* Vt n. aqua non cuivis sitienti est salubris, sed tantum rectè compositi, hydrope a. laboranti noxiam fert: ita nec opes bonæ sunt, nisi qui eas rectè administrare scit. Nisi etiam gladium anchipitem pueris vilem dixeris ardentissimo desiderio importunisq; clamoribus flagitantibus. Neq; sanè vtile fuisset Satyro ignem osculari, cujus amore ardebat. Monet n. Prometheus: πρὸς γόητα μὴ πυρὸς σύγγνωθι κλέπτῃ τὸ φέγγος.

10. *Hinc patet quid de distinctione boni in Vtile, Iucundum, Honestum sentiendum.* Nimirum quid Vtilitas in suo adæquato conceptu sit non cogitatur, ferturq; judicium ex ipsa perceptione sensus, qui corruptus sit nec ne nihil penè habetur. Est n. vtile quicquid ad finem debitum aptum & applicabile est. quare non partem boni & tanquam speciem constituit: sed universam generis latitudinem emphaurit. Cibus sedandæ fami, pellis corpori tegendo, harmonia sonorum oblectandis auribus, eruditio vitæ rectè agendæ est vtilis. Quæ cum homo, et homo, conferuntur id est

ei

ei est utile, quod honestum est: cum consideratur ut animal id tantum est utile, quod corpus in debito statu conservat: cum consideratur vt membrum societatis civilis, id solum est utile quod statum ejus rectè atq; ordine illustrat atq; auget. Latroni ad viatores peccuniâ spoliandos robur non est magis vtile, quam puero culter quo se interficiat.

11. Non ergo divellenda sunt naturâ conjuncta. quicquid honestum est id decet atq; aptum est: quicquid decet est vtile & bonum. Boni a. sensus atq; decentis, rei rectè constitutæ & jucundus est. Nam cum actus suâ honestate hominem deceat, quia ei aptus est: impossibile est, ut ei rectè constituto injucundus sit, quando ipsa proportionata habitudo jucunditatis causa sit. Quare si quid est jucundum, quod debitum Mentis aut corporis statum labefactat corruptionis argumentum est: quia disproportionata ei proportionata sunt.

12. Quando a. rei corruptæ rectum aliquod & debitum applicatur, non mirum si jucunditatis sensu in dolorem verso, solâ utilitatis repræsentatione gratum fit, subeanturq; quæ offert incommoda, spe boni per illud obtinendi. Ita sectiones atq; ustiones tolerantur, quæ non jucundum sensum habent, quia non ut foveatur atq; conservetur sectum aut ustum illæ

adhi-

adhibentur: sed ut destruatur. Iam v. ex destructione, quâ tali, parti destructæ nulla percipitur jucunditas. *Ita cum alicujus causâ gravissimæ molestiæ suscipiuntur, eo ipso, quod ex se nihil jucunditatis fundunt, & rei tamen obtinendæ proportionatæ sunt, colligitur, vel agentis robur non rectè se habere, vel ejus desiderium.* Nam quicquid in undiquaq; perfecto statu est constitutum debita tantum desiderat, si rectè desiderat. Ad hæc a. obtinenda adæquatas vires habet; (nam alias non rectè constitutum esset) Quare tot laboribus, qui vires corporis & animi frangunt, ei nihil est opus. Quod *si a desiderium rectum & necessarium vires destituunt, dubium non est, quin adsit labes corruptionis.* quare cum homines rerum honestarum causâ ingentibus laboribus crucientur, patet eos in statu corrupto esse; quibus debitè constitutis omnia jucundissimè fluerent. Tu qui corpore sano sanâ mente ardentis precationis commercio Deo jungeris, corpore atq; animo blandissimæ jucunditatis affluxu commoveris: cum v. exquisiti corpus cruciatus lacerant, & capitis urgent dolores, animo quidem jucundè afficeris, cor a. atq; oculos & segrum spiritum cum molestiâ elevas: quare si debitis undiquaq; ad rectè agendum viribus instructus esses jucundissimo cursu virtutis iter confice-

conficeres. Nunc illa etiam, quæ oblectant, laborem habent & molestiam.

13. Cum diversi fines, media diversa habeant; hinc *quod uni est utile, alteri inutile est, tertio noxium.* sic Vinum, sic pulvis pyrius & in universum omnia, quatenus cum diversis finibus atq; agentibus & patientibus contenduntur.

14. *Nam in judicio utilis vel inutilis unumquodq; ad se revocatur, & quam commodum sibi sit, vel incommodum ex sui statu cum ipso habitudine æstimat.* Re ipsâ bona atq; utilia et salubria sunt, quæ eum conservant aut in debitudinem restituunt, ut de calamitatibus jam dixi. *Nam quæ solius afflictionis intentione imponuntur neq; reductionem & sanationem propositam habent, utilium conceptu non censerem.* Quamvis n. peccato pœna conveniat atq; debita sit, non utilis tamen est diabolo; quando per eam nullum finem bonum obtineat.

15. Quæ ex re aut actu bona proveniunt *Lucra*; quæ mala, *Damna* vocantur.

16. *Lucrum* est commodum ex aliquo opere perceptum. *Damnum* est malum sive incommodum ex aliquo opere perceptum. Vulgo opum incrementa nostro labore quæsita lucrum vocantur; earumq; amissio dicitur *Damnum* sive *Detrimentum* & *Jactura*; quia

statui vitæ conservando accommodata detrita & q. projecta sunt. In universum *lucrum putandum omnis rei commodæ per actum nostrum accessio sive in animâ illud fiat, sive corporis, sive fortunæ bonis, nostro opere quæsitis.* Nam quæ alieno favore (divino vel humano) nobis obtingunt, non dicimur lucrari. *Damnum* omne complectitur, quacunq; ratione oblatum incommodum, sive sit privatio eorum, quæ habebantur (ut amissio opum) sive non acquisitio speratorum, sive positio incommodorum sive nostrâ sive alienâ operâ allatorum. *Fructus* illa bona, quæ ex terra provenient significant. *Interesse* dicimus vel partem utilitatis, vel juris.

17. *Utile ergo est, quicquid facit, ut alterum suum rectè finem obtinant.* Vt pedes sunt oculis utiles, cum distans rectè percipi nequit, & oculi pedibus, ne impingant in lapidem. fluitq; illa mutui usus impertiendi necessitas ex ipsa rerum singularum conditione, quâ partes unius universi factæ sunt. Nam cum nihil sui, sed totius causa sit, finem suum consequi aptum est, si compartis concursu juvatur.

CAP.

CAP. XVIII.

De Loco Rerum.

1. *Quicquid est alicubi est*; nec, concipi ulla res potest, quæ esse nullibi cogitanda sit. Quare localitas intimo complexu rem tenet, non tam actuali effluxu ex substantia promanando, quam nescio quâ necessitate ipsam ambiendo circumstandoq; , ut quam primum in existentiam producitur, simul in aliquo loco ponatur.

2. *Est ne locus spatium in quo aliquid est.* difficilis ejus est disquisitio, quando non evidenti indicio apparet, *an habeat essentiam creatam incorpoream*, corpora ad se trahentem nec; unicâ existentia basilari mundi unitatem colligantem, quemadmodum quidam viri doctissimi opinantur, qui illud *substantiam primum aut sedem, aut capacitatem immobilem & incorpoream, aptam ad receptandum omne corpus, idemq; firmamentum longum latum profundum incorporeum, quo possit corpora longa, lata, profunda atq; motus penetratione corporali concipere*, definiunt.

Fateor ut mentem in talis substantiæ cognitionem intendam, me ejus existentiam

nondum animadvertere; quia eo ipso, quo quid existere concipitur, remoto omni alio, jam in spatio extenso (quia ipsum extensum est) existere cogitatur. Imò cum illam ipsam spatii creatam substantiam se in longum latum profundum extendentem animo subjicio, occurrit simul cogitatio alicujus spatii diffusi, in quo illius creati spatii magnitudo extenditur.

4. *Neq; per spatii attractivum sensum fit, quod corpora attrahantur*: siquidem ut lux, eo ipso, quod est lux, remoto omni extraneo, visibilis est: ita etiam corpus, eo ipso, quod existit jam extensum est, quia corpus est, & in aliquo est spatio. Attractio a. non à spatio, sed à rebus in spatio existentibus existit; cum aëres se in elementum aëris, terrestria ad terram naturalis inclinationis pondere referunt.

5. Nimirum *ut creator certam singulis naturam tribuit: ita & adsignavit commodum locum, ubi stationem suam haberent*. Aërem sursum ire jussit, terram deorsum, deditq; vires ut innato pondere se eò librarent atq; sibi cognato unumquodvis adsocieret. ipse v. suam singulis præsentiam exhibet, quâ fultæ sustentataeq; in existentia permanent, ad nihilum ruentia cum ille sese subtrahit, sicut remotâ luce umbra evanescit. Quare præter eum sustentatem

tem nulla ſubſtantia corporea requiritur quę res naturalis ſocietatis vinculo colligatas ſuſtentet. Et impulſæ in motum trahere ſe invicem ipſæ aptæ ſunt.

6. *Hinc fit ut terreſtria terram, aquea aquam, aërea amant aërem, quia ex quo quid conſtat ab eo etiam alitur & conſervatur.* Aves liberum captare aërem volunt, cujus tenuitatē piſces, ſpiritus aqueos habentes, averſantur. Ranæ in Hungaricis thermis natæ ibi ſine noxâ verſantur, quia calidum à calido non perimitur, quæ injectum canem aut avem enecant. & talpa ſub terrâ eſt, ut ſub aquâ piſcis.

7. *Locus ergo cujuſq; ſtatui conſentaneus eſt*, qui conſervare rem in ſuâ debitudine aptus eſt, & operandi commoditatem præbet. Metalla non proveniunt in aëre, nec poma ſub terrâ, aut fruges è petra, alius ſcribenti, coquenti, ligna cædenti; alius Regi, literarum ſtudioſo, Ruſtico locus competit.

8. *Tantus eſt cujuſq; locus quantum ipſum eſt*, quia unumquodvis ſuis limitibus circumſcribitur, extra quos ejus nihil eſt ad ſe pertinens. *Et quidem corpora ſingula, ſingula loca requirunt*; quia materialis extenſio duo in ſpatio uno non permittit. an divinâ potentiâ id fieri poſſit, neſcio.

9. *An fieri poſſit ut unum corpus in duobus*

vel plurimis locis simul statuatur, disquiratur? fateor gravissimo impietatis scelere obstringi, si quis potentiæ divinæ manus injicere atq; ejus latitudinem ex suæ angustiâ capacitatis metiri audeat. interim *manifestam contradictionem habere videtur: aliquid totum & quodcunque partes esse intra, & esse simul totâ & quoad omnes partes extra.* Intra n. est, finis terminis, extra quos ejus nihil est, totaliter circumscriptum, & totum simul extra est, finis terminis, extra quos ejus nihil est, circumscriptum. quæ quomodo consistant, testor illud, non assequor: quia multiplicitas necessario involvi videtur, cum quid & Londini, & Romæ, & in Ægypto simul esse circumscriptivè dicitur. Nam cum tota ejus extensio his sex terminis circumscribatur, quomodo idem ipsum simul extra hos terminos erit & quidem pluries? sic n. totum absens erit, & totum non absens: habebit omnes partes sibi præsentissimas, & habebit remotissimas simul; cum nasus in capite, ut Londini existente esset remotissimus ab ore, ut existente Romæ. Et tamen idem est nasus, idemq; os, quæ diversa loca simul disjunctissima faciunt & vicinissima. Imo eadem pars à se ipsa tot spatiorum intervallis distaret. Quæ ipsa dum cogitatione verso non possum non duos nasos & duo ora cogitare, quod quamdiu mihi faci-

en-

endum est, non magis possum adduci ut credam illud fieri posse, quam quod duo, vel plura sint unum. Sicut ergo impossibile est, ut Socrates unum maneat, & tamen sit duo: vel Plato & Socrates sint unum individuum & tamen sint Socrates & Plato distincti: ita fieri non potest ut unum corpus in pluribus statuatur locis, sitq; intervallis à se ipso divisum, nam sic necessario duo erunt corpora.

10. *Neq; scrupulum eximis cum ais loca multiplicari, non corpus*; quia quocunq; me verto, ut ut abstraham localitatem, non tamen possum concipere, quomodo unius corporis totalitas possit simul totaliter in decem locis existere. Et cum locus ab altero non dependeat, num potest ibi adscendere, hîc descendere, alibi stare, sedere, jacere, resupinatum, erectum, quadrupes constrictum esse? sane si possibile esset unum corpus diversis locis statui, non video cur non certus actus in ipsum quovis loco intendi possit. & si in Italia caleret, num frigebit in Suecia? si uno loco commodè afficeretur, an dolebit alibi?

11. Cum alia extra cujusq; ambitum existentia considerantur variæ locorum nascuntur differentiæ, *Sursum, Deorsum, Antrorsum, Retrorsum, Dextrorsum, Sinistrorsum*. Quæ differentiæ ex parte locatorum considerabiles

non

non loci qui ſpatii diffuſione unus concipitur, non n. ratione ſpatii quædã ſurſum, alia deorſũ ſunt: ſed reſpectu corporũ quæ ſupra vel infra ſe alia habent, quatenus ſitus eorum quæ extra ſunt, conſideratur. Hinc ut Antipodes infra nos eſſe nobis videntur, ſic nos ipſis infra ſe.

12. Ex quibus, quid ſit *Diſtantia* intelligitur, nimirum interpoſitum inter duo ſpatium. Eſtq; *vel propinqua vel remota*. illa parvum ſpatium interjicit, hæc magnum. utraq; *vel abſolute, vel cum comparatione* capitur. Ægyptus abſolutè ab Angliâ multùm diſtat, Londinum ab Oxoniâ remotius diſtat, cum propiora reſpicis.

13. Ἑτερότητα quam Alteritatem audeo vocare, *facit ut & inter res diſtantia intercedere cogitentur*, quæ non in intervallis locorum, ſed naturarum non identitate & diſſimilitudine fundantur. Nimirum unumquodq; ſibi ipſi eſt id, quod eſt, quæ extra ſunt, ad eſſentiam ejus nihil pertinent; ergo alia ſunt, & ſi alia, ergo diſtantia: quia impoſſibile eſt, ut ſint plura, unum extra alterum, nec diſtantia tamen: quare unumquodvis ſibi ipſi vicinisſimum eſt, cui intervallo proxima ſunt, quæ naturæ ſimilitudine vel gradibus ſe immediate tangunt.

14. Sed ad diſtantiam localem reverſuris obſervandum eſt, *totum hoc univerſum ſui eſſe non ubiq;*

ubiq; plenum, ita quidem ut inter corpora nullum interstitium sit, in quo nihil existat, seu quod vacuum sit. Gaudent n. se mutuo contingere, quo ne frustrentur propriæ inclinationis obliviſci malunt, vultq; aqua adscendere, aër descendere.

15. *Est a. vacuum, Spatium in quo nihil prorsum est.* Hoc n. sensu Philosophi de eo loquuntur; alias cantharus est vacuus, cui aqua vel vinum non ineſt: terra vacua quæ plantis non est ornata. quo sensu etiam ab eruditione & moribus vacuos dicimus.

16. Cæterum distantiæ ratione quædam *Ampla, Spatiosa, Brevia, Angusta* dicuntur, de quibus supra est actum, quæq; cum hisce comparata melius intelligentur.

17. Spatium distantiæ, quod inter duo interjacet, *Via* dicitur, quæ nihil aliud declarat, quam illud interjectum quo ab uno venitur ad alterum. Hæc directa lineâ tendens *Recta*, quæ & breviſſima est, dicitur; obliqua & per sinus ac volumina ducens, vocatur *Ambages. Inaccessa* a dicimus ad quę adeundi non est facultas. Quæ omnia intellectui cogitanti tribuuntur. Nam & hic tendit & progreditur vel recta sive per ambages, atq; incidit tandem in inaccessa, quo sensu Deus habitare φῶς ἀπρόσιτον dicitur. Et virtuti nullam viam esse inviam ille dixit.

18.

18. Ex hisce ergo patet *corpora certis spatiis ita circumscribi*, ut pro extensione suâ certis terminis ambiantur concludanturq; singulis partibus ad certam spatii extensionem se extendendibus. Nam materialia cum sint, partes extra partes habent, unde cuiq; extensioni partis certa spatii extensio respondet, intra quam alia, præter hanc, nulla esse potest.

19. *Spiritibus immaterialibus quale proprie spatium competat non clare intelligimus.* Quos quidem certum est non esse modo circumscriptivo, ad instar corporum, alicui spatio per suæ essentiæ extensionem alligatos; & tamen habent aliquid ubi, in quo versantur. quare eos esse *Definitivè* in loco dicunt, quia pro lubitu se effundere in majus & contrahere in minus spatium possunt. *Definiunt ergo sibi locum, quem occupare volunt, non circumscribuntur per naturæ conditionem.*

20. *Dicum v. Repletive in spatio dicunt*, quia neq; ut corpora, circumscribitur, nec, ut creati spiritus, sibi ipsi definite: sed omnia suæ essentiæ infinitâ sufficientiâ replet ubiq; totus & indivisibilis atq; plenissimo vigore efficax, suum rebus omnibus præstans vigorem, à nullo per intercapedinem aliquam abjunctus, sed præsenti afflatu unumquodq; regens, erigens, sustentans.

21.

25. Corporum in aliquo spatio præsentia *Situs* dicitur, qui est illa habitudo, quâ quid suo spatio tali figurâ adest. Ex hoc declaratur *qualis cuiq; figura competat*; quia cum hæc sit extremitatum dispositio, intelligi accuratè non potest, nisi spatium & res inter se comparentur & attendatur quo situ hæc ad illud se habeat. pro situationis n. diversitate figuræ variæ sunt, ut circulus, triangulum, Pyramis. Hinc plana, recta, obliqua, sinuosa, Declivia, Abrupta seu Præcipitia, Salebrosa, Lævia, Aspera: hinc Erecta, Nutantia, Cubantia sive lacentia, Stantia, Sedentia.

22. Res respectu loci dicitur *Manere & Persistere*, quod est porro tenere spatium, quod habebatur seu stare in loco eodem. *Habitare* est suam in aliquo loco constanter sedem habere. *Sedes* n. locum declarat ordinarium.

CAP. XIX.

De Duratione Rerum, sive de Tempore.

1. *Duratio est permansio in existentiâ.* Non creatæ sunt res, vt conditæ statim in nihilum recidérent: sed vt suis muniis fungerentur, quod permansionem requirit. Manent quæ eodem statu, quem tenent, porro consistunt

consistunt atq; illud suum esse retinent. quod cum amittunt in alia mutata Discedere, Abire dicuntur.

2. *Fundamentum Durationis est ipsa rei vis, quâ se in suo esse servare valet.* Hinc fit, vt quædam diu durent, quia solido robore nixa stant, alia suâ fragilitate citius collabantur.

3. *Includit a. Tempus aliquem fluxum*, quo intelligitur res stetisse, atq; stare nunc, & manere porro. siquidem tres habet primarias differentias *Præsens, Præteritum, Futurum*. Præsens est hoc ipsum nunc, quo hoc cogito: præteritum est quod defluxit, & cogitavi. non n. amplius illud, quod cogitabam, momentum præsenter nunc adspicio, sed defigo nunc cogitationem in aliud punctum & statim rursum in aliud atq; aliud. Quare *Futurum* est, quod sequitur, & in præsentis locum succedit. *Præsens* a. Præteritum cum Futuro connectit atq; *Momentum sive Instans dicitur, quod est fluentis successionis indivisibilitas quâ Nunc esse cogitatur*. Cursus aquæ temporei fluxus imaginem exhibet, quando nulla fluvii pars suo loco consistit, sed quæ oculis directâ lineâ nunc subijcitur statim subducit se, subeuntibus aliis; vt quædam præterierint, quædam prætereant, eoq; ipso præsentes sint, quædam futuræ subsequantur. Hinc tempus perpetuo fugacium momen-

momentorum fluxu labens irrevocabile est, quando, quod semel præteriit, non possit retroagi, vt factum infectum, præteritum non præteritum sit.

4. Cum a. progressus cogitationis sine fine erret, nisi certis vestigiis se sistat & illi Temporis fluxui quosdam characteres imprimat, in quibus vel initium progressus faciat vel vbi terminetur; hinc cursu sive solis, sive terræ, tanquam omnium regulariſſimo, durationes aliorum solemus metiri, tam diu duraſse ea affirmantes, quot revolutionibus ejus coëxtitere; ac si ingentem panni longitudinem vlnâ metireris. hinc horæ, menſes, anni, luſtra, ſecula, millenarii nati.

5. Quod modo in existentiam prodire cæpit *Novum & Recens* dicitur: quod diu permansit *Vetus, Antiquum, Longævum*: quod diuturnitate vires amisit *Effætum, Decrepitum*: quod priſtinum valorem, *Obſoletum*: quod semper manet, dicitur *Perenne*: quod Diu, *Diuturnum*; vbi obſervandum novum dici non semper ratione ſubſtantiæ, ſed & modi, qui *nuper* nuper acceſſit, vt novus hoſpes licet vir ſenio confectus.

6. Tota rei cujuſq; Duratio *Mora* dicitur, quæ est illa intercapedo inter cujus initium & finem tot momenta continuâ ſucceſſione defluxerunt

fluxere. Hinc moras nectere, seu extrahere tempus est plura momenta temporis sinere præterlabi. Ex quo quid sit *Cunctari, Differre, Prorogare, Retardare, Celerare, Expectare* intelligitur.

7. *Mora sive Duratio Animalium Ætas dicitur*: quæ in Homine in Infantiam, Pueritiam, Adolescentiam, Iuventutem, Virilitatem, Senectutem dividitur.

8. Nimirum sapientissimus Creator suam non tantum rei cuiq; stationem adsignavit, sed & præfixit tempus, quamdiu eam obire debeat vt munere functa locum aliis relinquat. Hinc constanti vicissitudine surgunt quædam & progrediuntur in lucem, aliis in tenebras remissis. Ex vt in theatro Actores quidam diu fabulam agunt, quidam paucis se expediunt: sic omnipotens Creator certum cuiq; præfixit temporis limitem, quem nec antevertere licet, nec vltra extendere.

9. Constituit a. *vt nihil simul & ceptum & absolutum esset*: sed ab tenui profecta initio ad fastigium cum tempore evaderent, ad quod enixa, atq; quiescentia paululum in præceps rursum devolverentur. quæ *Rerum omnium Origo, Incrementum, (supremus vigor, Laxatio) Decrementum (supremum) fuit*. Itabit vestigio nihil est fixum, progressu continuo cuncta vol-

volvuntur sive sumptis Viribus ad fastigium adscendendo, sive laborantia effœtaq; rursum ab eodem retrò relabendo ruendoq;; sicut fagitta, cum ad summam pervenit non nihil q. cunctatur illaq; so morâ inclinando ad relapsum præparat. Verectè *Tempus edax rerum*, atq; omnia *terre & contagione noxæ infidere* dicatur; quia cum tempore vertuntur internæ rerum habitudines.

10. Id quod tamen tantum de rebus materialibus intelligendum: *inter tot revolutiones in sua simplicitate, nullum nihil mutato, sibi semper eadem sunt.* Inter corpora a. cum perpetua sit luctatio dum spiritus imus latens effluit, atq; extrinsecus ambientia se insinuant, hinc compositionis contextura inde solvitur atq; variatur, sed modo insensibili; ita vt auctus rerum atq; decrementa per gradus esse progressa ex intervallo demum cognoscas, ipsam revolutionem, per minutissima factam, præsenti oculo percipere non possis; sicut horologii indicem longiùs esse progressum, non progredi, videmus.

11. Triplicem Durationem faciunt *Tempus, Ævum, Æternitatem.* Tempus dicitur duratio rerum corruptibilium initium & finem habentium, *Ævum* est duratio rerum ex sua natura incorruptibilium initium habentium

um, non finem. *Æternitas* est duratio Dei nec initium habens nec finem.

12. Hæc una est atq; simplex & in momento indivisibili consistit. Non quod ejus nulla cogitari extensio possit (nam nos sine fluxu durationem nullam possumus concipere) sed quod Deus in infinitâ suâ plenitudine cuncta simul ab omni æternitate possideat & tanquam præsentia intueatur: ita quidem ut nihil, quodcunq; fuit, ex ipsius se oculis subduxerit, nihil quod futurum imminet tanquam è longinquo spectetur: sed intra ipsum immobiliter omnia coram sistantur: ut non necesse sit ejus cogitationes in futurum vel præteritum exporrigi, quando omnem revolutionum infinitudinem præsenti oculo complectatur.

CAP. XX.

De Perfectione Rerum.

1. *Perfectio est status rei omnia ad esse suum requisita debito modo habentis.* Perfectum n. concipimus cum omnia debita adsunt Substantia, Qualitas, Quantitas, Communicabilitas, Locus, Duratio, præter hæc n. quod desiderari amplius possit, nihil est.

2. *Est ni rei perfectio ex Ideâ destinanta æstimanda,*

simanda, quia apta tantum perficiunt. Apta a. sunt, quæ ejus fini respondent. Quare quicquid fini alicujus adsequendo inservit, illud perficit.

3. Cum a. sapientissimus creator non aptis tantum viribus res instruxerit, sed & insigni artificio eis decus addiderit atq; elegantiam, non tantum ex illis, quæ fini consequendo simpliciter sunt necessaria, metienda perfectio est: sed etiam quæ splendorem quendam & dignitatem ipsâ sui habitudine conciliant, per se licet ad agendum nihil conferant: cum ratione dictante iis majus pretium tribuamus, quæ ad egregiam agendi vim eximiæ elegantiæ præstantiam adjunctam habent, gratiorq; virtus ex pulchro corpore veniens reputetur, quare sunt *quadam perfectiones ad Rei esse, ut perfectum æstimetur, simpliciter necessariæ, aliæ ad bene esse*, quæ varios gradus habent atq; *Ornamenta* dicuntur.

4. Est a. *Ornamentum aliqua habitudo rem insignem & præstantem reddens.* Estq; interdum partis alicujus in toto eximia dignitas, interdum assumptum extrinsecus quid splendorem aliquem afferens. Quamvis unumquodvis eo perfectius sit & ornatius, quo minus externorum amiculo opus habet, ut decus sibi ab ipsis accersat: cum illa, quæ alicui propria sunt,

dignitatem nativi splendoris in se commendent, aliena suam oculis speciem subjiciendo defectus rei tegant.

5. *Quæ ex partibus constant, perfecta sunt, cum singulæ partes suam perfectionem habent.* Vnaquævis n. suum finem habet quo toti est utilis, vel ut per eum operetur, vel ejus pulchritudine augustum sit: quare quo habitudo ejus est perfectior, eo quoq; perfectius, eâ parte, est totum.

6. Ubi tamen fieri potest, ut una pars absolutissimam perfectionem habeat, cujus totum propter reliquarum incommodam habitudinem perfectionis laudem minimè mereatur. non elegans est fæda & distorta facies licet oculi omnes pulchritudinis numeros habeant: non felix est regnum ubi nobiles tantum floreant: non optimus exercitus, qui imperatorem tantum bonum & quotdam duces habet.

7. Quare *ad perfectionem totius duo requiruntur*: tum ut singulæ partes suo loco adsint; tum ut singulæ debitâ suâ habitudine ornatæ sint. Illo modo homo cui pedes & brachium abscissa sunt, perfectus non est; hoc, qui pro virium imbecillitate facere officium non potest. Ita potest quis possessione omnium virtutum esse perfectus, quatenus nulla ei deest, & tamen esse imperfectus quia nulli debita con-

stat

stat perfectio, quatenus ad gradum debitam altitudinem provecta non est. *Illam perfectionem partium, hanc gradum quidam vocant.*

8. *Secundum se unumquodvis est perfectum cum sua Idea congruit*, plumbum, aurum, gramen, arbor, talpa, leo, homo, angelus: quod & de singulis totius partibus pronuntiandum. Imperfecta a. quædam per comparationem meliorum dicuntur, quod ex supra dictis intelligi potest.

9. *Nullum n. creatum simpliciter perfectum est*: sed cum sensu diminuente, quatenus hujus vel illius generis naturam habet. Aurum, quòd aurum perfectum est: Poeta, quâ Poeta, qui non statim Orator, Philosophus, Theologus est, neq; ullum est, præsertim in specie superiori constitutum, quod omni ex parte perfectum sit. Sua cuncta ornamenta habent, quibus præ reliquis egregia sunt, habent & defectus quibus infra aliorum præstantiam ponuntur. ut in illâ perfectionis latitudine, si qua leviori adspergine rei facies notata est, imperfectionis judicio non statim sit confodienda. Iniquum n. id est, & invidiæ ad criminandum proclivis argumentum.

10. Hinc patet: illud *in eodem genere altero perfectius esse, quod fini suo magis est accommodatum*, sedis distortis; membris homo sed

corpore & animo vegetus perfectior est imbelli, licet formoso: & ægrotans corpore, animo a. rectè valens, melior est formoso & membrorum robore valido: culter secandi vi præditus deformior, melior est obtuso, licet manubrio aureo superbo.

11. Sunt a. varia vocabula quæ perfectionem rei declarant *Sufficientia, Maturitas, Sanitas, Beatitudo, Felicitas.*

12. *Sufficientia est debita rei plenitudo ejus capacitati adæquata.* Quando n. res tantum habet, quantum habere potest, perfecta est: unde talia completa dicuntur quia habent complementa omnia ad constitutionem perfecti status requisita.

13. *Maturitas est debita potentiarum singularum habitudo ad agendum requisita.* Sicut pomum justâ digestione concoctum maturitatem habet, ut ad edendum sit idoneum: ita cum res justum accepêre robur ad agendum, Maturæ dicuntur. ut maturum ingenium, sapientia matura & adulta.

14. *Sanitas est vitæ animalis recta constitutio debitum robur habens.* quod etsi nondum maturuerit, sanum tamen dicitur: transfertur q; ad vitam substantiarum immaterialium; unde Rationis sanitas.

15. *Beatitudo & Felicitas agentibus rationalibus*

valibus propriè conveniunt. Illa est perfectus rectè atq; ordine agentis status. *Felicitas* est hominis status, cui omnia ex voto succedunt. Deus proprie Beatus, imo solus est: Felicitas illis tantum tribuitur quorum conatibus obstare fortuna potest. Homo felix dicitur cum divitiis, honore, amicitiis ornatus est: nam talia sibi pleriq; optant. In persuasione n. consistit Felicitas cum quis id habet, quo cum fruitur, contentus est.

16. *Imperfectio est status rei omnia ad esse suum requisita debito modo non habentis.* quod fieri variis modis potest. *Vel n. quadam partes desunt: vel, si omnes adsunt, debito ordine & loco collocatæ non sunt; vel rectè collocata debita habitudine seu viribus sunt destituta; vel etiam plures juste partes adsunt,* Priori modo est *Mutilum*; secundo generaliter *Defectus*; tertio *Privatio*: quarto *Monstrum*. quamvis vario usu vocabula hæc inter se permisceantur. Interim Res distinguenda est.

17. *Mutilum est, cui aliqua pars deest.* Competit totis diversas partes habentibus; nam aqua aut terra non mutilatur: sed homo cui nasus abscissus. Debet a. quod mutilum dicitur totius formam retinere; in partes n. minutissimas homo dissectus non est mutilatus.

18. *Defectus est rei indebita forma,* ut ter-

ra & fœda facies, nasus ingens, oculi parvi, pendulæ genæ, os ringens.

19. *Privatio est absentia debitæ rei habitualis*, ut cæcitas, surditas. *Aliud est absentia formæ debitæ, aliud positio formæ indebitæ.* In nesciente sui officii regulas debitæ scientiæ pura absentia est: in errante, opinio prætera ponitur indebita. Sic vitiosus non tantum est virtutis expers: sed præterea positivi vitii macula fœdus. *Non est privatio aut defectus, nisi rei perfectio, quæ abest debeatur*: neq; n. ovis defectu laborat leonis robore destituta.

20. Sunt a. hæc diligenter discernenda, ne *Privatio cum positivo Defectu confundatur*. Illa n. in suo conceptu nihil reale infert: defectus reale quid & positivum est. Cui pes abscissus, is eo privatus est, quæ privatio nihil prorsum ponit: sed significat tantum sublatum pedem. Sic vacuitas in loculo, inopia, infelicia puræ privationes sunt & simpliciter ato; nudè alicujus rei absentiam declarant: Morbus a; Deformitas, & alia hujusmodi positivam aliquam qualitatem habent.

21. *Et in nonnullis quidem absentiam debitæ formæ vix concipere licet, quin defectus positivus involvatur*, ut cum Rudè, incultum, immaturum dico, quorum conceptus in ipsa debitæ formæ absentia ponit realitatem indebitam.

tam. Interim quod non debitis privatum est; sed & superaddito defectu laborat deteriori loco est, ac quod solâ privatione est imperfectum. Errans n. simpliciter ignorante deterior est.

22. Quod a. *Privatio magna vel parva dicitur ex eo non infertur eam in se aliquam realitatem haberi:* siquidem habito ad subjectum respectu talis dicitur, ut inopia parva cum multum adest: ignorantia magna cum tota ferme mentis area scientiâ est vacua. Adspicitur n. ad capacitatem subjecti, quod cum nudum ubiq; atq; inane sit, in respectu ad ejus amplitudinem magna vel parva dicitur.

23. *Defectus necessariam perfectionem auferens deformitatem affert,* non qui splendorem & dignitatem. nam cum nihil sit, quod omnes numeros habet, deficere singula dicendum, non deformata defectu; nisi essentialis, ut sic dicam, habitudo se malè habeat.

24. *Defectus a, foeditas ex habitudinis debitæ excellentiâ æstimatur.* Nam quo hæc est insignior, hoc ille est turpior, quia à fine rem magis abducit. Turpius est naso quàm aure, oculis quàm digito, virtute quàm elegantiâ corporis carere.

25. *Defectus omnis in quantum perfectionem debiti status tollit, in tantum ejus tollit veritatem*

ritatem & bonitatem. Non n. in puncto consistunt res, quare quo ab Ideæ destinatione longius discedunt eo minus tales sunt, quales esse debent, suis muniis aptæ. Et quia cum tempore demum ad destinatum fastigium adsurgunt, in statu, ut sic dicam, infantiæ imperfectæ sunt, donec ad destinatam Pubertatem venerint. Puer virili robore carens defectum habet, non quod illud ei, quà tali, debeatur: sed quia ad justam maturitatem non provectus est; quando homines non sint conditi, ut pueri, sed ut viri sint: & Catulis ante nonum diem visus per naturam non debetur quidem, & tamen eò ipsi imperfecti sunt, quod terminum suæ perfectioni debitum nondum attigerint. atq; in universum omnia, quorum esse nondum penitus absolutum est: sed in fieri atq; crescendo consistit, imperfecta sunt, & eo ipso minus vera, minus bona. Quod n. nondum planè tale est, quale esse debet, nondum plene perfectum est, adeoq; nondum omnino bonum, quia suo fini nondum rectè adhiberi potest. *Sunt ergo essentiæ sicut numeri, nec intendi aptæ nec remitti, quod ad specificam cujusq; fabricam seu lineamenta fundamentalia attinet, quibus additione, detractione, trajectione turbatis res alium specificum vultum induit, ut si ex Pentagono fieret Triangulus, aut humana faciei* similis

suilli capitis formam acciperet: sed quatenus unaquævis intra suum circulum consistit additionem plurium graduum non respuit, donec ad debitum fastigium evecta ad id peragendum apta est, qui destinata est.

26. *Monstrum est habitudo rei à debita formâ longissime discedens.* unde non tam species est defectus quam ejus extremus gradus. Homo turpi capite deformis est, sed ingenti illo & bovino monstrosus.

27. Sunt quidam *Defectus ætatis* qui cum temporum revolutione ordinariè tolluntur, vel adveniunt; alii ad temporum progressus nihil alligati sunt. *Illi sunt Immaturitas, & Senium,* atq; quos secum in comitatu habent; hi omnes imperfectiones reliquæ.

28. *Immaturitas est rei imperfecta habitudo ob ætatem suis muniis nondum aptæ.* Dicitur & Cruditas; re in fructibus primùm observatâ atq; deinde translatâ ad alia. Quando n. pomi succus crassus adhuc est & densus durusq;, immaturus dicitur; cum v. calore solis partium crassitiem solvente & in jucundam mollitiem attenuante concoctum est, vocatur Maturum. *Præcox* est quod tempus debitum antevertit.

29. Verum cum nihil stabili gradu consistat maturitatis ille perfectus vigor non diu vim

suam

suam illibatam servat: sed perenni motu defatigatus paulatim solvit se & remittit, donec ad inutilem torporem ipso senio labatur. *Est a, senium imperfecta rei habitudo ob ætatis inclinationem fractæ viribus suisq; muniis non amplius aptæ.* Vt n. pomum maturum, cum diutius soli expositum est, partibus in nimiam subtilitatem solutis atq; evocatis spiritibus, putrescit: ita & vires adultæ ipso se vigore conficiunt, quando quò validius in actus elatæ incumbunt eò majori impetu se ipsas dissipant; quo fit ut defatigatæ sensim remittant ab illo ardore, & senium contrahant.

30. *Insufficientia est rei ad complendam capacitatem necessariæ absentia.* Scilicet cum non tantum adest quantum debet, res inopia laborat. Habet n. suum unumquodvis demensum, quo si potitur, plenum est, atq; satis habet.

31. *Invalitudo sive morbus est rei alienis corruptæ & necessario robore destitutæ status.* Non omnis roboris defectus est morbus (datur teneritudo & debilitas naturalis) sed quando res inimicæ constitutionem debitam turbant, atq; naturæ vires frangunt.

32. *Miseria est creaturæ rationalis status a debito fine prolapsæ.* ut homo vitiorum morbo corruptus.

33. *Infelicitas est status creaturæ rationalis cui omnia contra votum & sententiam accidunt.*

PARTIS SECUNDÆ.

CAP. I.

De Rerum Conjunctione.

SECT. I.

De Rerum Communione.

1. QVibus respectuum amplexibus res inter se mutuo implicatæ sint, ex earum communicabilitate patuit, quando omnia in aperto invicem patere ex singulorum fine demonstravimus, utpote quæ non sibi, sed aliis sint condita, quibus dum se exhibent, finem suum adsecuta sunt.

2. Ex centro suo per universi circuli latitudinem habilitatum variarum radios projiciunt naturæ singulari destinatione nulli de necessitate alligata: nam ita *Communicabilia sunt ut simul sint communia.*

3.

3. Aër siquidem, Aqua, Terra ad omnes illas formas quas per varias configurationes induunt æquo ejusdem aptitudinis respectu feruntur, ut pinguedinis nihil interfit sive in plumbi, auri, crocodili, hominis compositione veniat. quam respectuum aptitudinem *Communitatem* dicimus.

3. *Est a. Communitas status rei, secundum se pluribus applicabilis.* Commune n. dicimus quod multis cum adjungi possit, nulli de facto adjunctum est: sed respectum indifferentiæ ad singula habet. *Indifferentia est status rei inter plura interjecta omnia simul respiciens*: cujus fundamentum est *applicabilitas* ad omnia. In medio n. consistit, ut ad hoc, illud, istud trahi ferriq; possit. Cum è medio discessione facta uni, certo vinculo, applicatur, tollitur indifferentia transitq; in statum *Proprietatis quod Commune* erat. lignum n. ex quo est sella fabricata non amplius est communis lecto aut cistæ; sicut virgo uni nuptui data non amplius est nubilis.

4. *Quæ Rerum antequam in compositionem venêre, habitudo fuit, eadem nunc ipsis compositis est, quando ad ea, quibus aptæ sunt, comparantur.* In medio posita per suum orbem sibi objectis omnibus patent, ex æquo respectum aptitudinis ad singula includentia. sicut aër, soli

solis lumen & calor omnibus, quæ illis frui possunt, communia sunt: ita certâ naturæ destinatione non est constitutum ut gramen bovi potius aut asino quam equo in nutrimentum cederet. Quare naturâ suâ omnia Communia sunt, iis nimirum quibus accommodata sunt. Hinc *Neutrales* dicuntur qui nulli parti ratione speciali addicti omnes ex æquo admittunt.

SECT. II.

De Partialitate & Totalitate.

1 *CVm quid à medio declinans alicui, omissis reliquis, applicatur Partiale* fit. *Pars* est quæ juncta aliis constituit totum. *Totum* est, quod ex partibus est compositum. *Componere* est ponere plura simul, ut ex eis fiat unum.

2. *Pars ergo sociabilis est, hoc est ad comparem, ad totum, quod constituere debet, ejusq; finem, debitæ aptitudinis respectum habere debet.* Nam cervicem equinam non nisi ineptus pictor humano capiti accommodat. *Insociabilitas* ergo est earum rerum status quæ in unum jungi aptè nequeunt: vt laceratæ vesti pretiosi lapides non rectè adjunguntur: sic discrepanti homines ingenio non coalescunt. & tales *Solitarios* dicimus.

3.

3. *Est a. totum nihil aliud, quàm omnes partes hac modo junctæ.* Quare nihil habet, quod ab illis non accepit, & cum perit, in illas, ex quibus constitutum est, partes relábitur.

4. *Pro naturâ ergo partium est Totum:* quæ cum omnes inter se ejusdem naturæ sunt *Totum similare sive homogeneum*: vt aqua, aër, terra: cum diversæ, *dissimilare vel Heterogeneum* dicitur, vt homo, leo.

5. *Similaria vniformem in omnibus partibus actionem habent* (vt aqua partibus omnibus humectat) *Dissimilaria à partium diversarum vario apparatu instructa sunt*, quia singulæ partes certæ operationi sunt destinatæ. non n. audiunt pedes, neq; oculi incedunt.

6. Partes totius dissimilaris vel *Principales* sunt, *vel minus principales*. illæ sunt sine quibus totum consistere nequit, vt caput, cor in animalibus, radix in plantis; hæ, sine quibus totum esse potest, licet mutilum, vt nasus.

7. Vtræq; *Membra* dicuntur, quæ sunt partes in toto certæ & determinatæ, quarum quævis suo muneri accommodata est, atq; suo toti aliquo Articulo connexa: vt membra humani corporis, Collegij, Reip.

8. *Partium aliæ sunt essentiales, aliæ integrales.* Illæ sunt Materia & Forma: hæ quantitatem totius & partium debitarum numerum integrum

integrum faciunt. Materiâ constare homini essentiale est, quem caput, brachia, pedes integrum faciunt. Quæ ad constitutionem totius non pertinent, cum aptè adjunguntur *Additamenta*; quæ ei supplendo accedunt *Supplementa* vocantur.

9. Cum omnes partes adsunt Totum *totaliter & integrè* est: cum desunt quædam, est *incompletè*: cum maximâ parte destructum est *Reliquiæ* superstites sunt: cum totius integritati nullâ parte allatum vitium est *Intactum & illibatum* dicitur. Quæ voces non tantum omnium partium præsentiam declarant: sed & debitam earum habitudinem. sunt n. quæ contactu lædantur, atq; suam perfectionem amittunt, vt illibatus flos, pulchritudo. Quare *Totalitas est ille totius status, quando nulla ei pars deest*: non quod ipsum præter omnes partes simul sumptas distinctam aliquam entitatem, vt quidam existimant, habeat: sed quod solo respectu reali partium simul junctarum esse totaliter atq; completè dicatur. atq; ex hisce vltrò sequitur, totum omnibus suis, partibus esse æquale, singulis a. majus.

10. *Est a. aliud Tota res, aliud Totum rei.* Illud declarat totum, quatenus ex omnibus partibus copulativè sumptis compositum est: hoc declarat totum, quatenus certæ alicui parti

ti

ti aliquis actus tribuntur. Totus homo incedit: sed non totum hominis: non n. manus & aures. sic homo intelligit quidem: sed non singulæ partes.

11. *Totius quod certo partium numero constat integritas ex præcisa illius ratione dijudicatur.* Talia sunt omnia corpora naturalia naturæ destinatione vario partium apparatu insignia: nam homo, cui minimum membrum deest, non amplius totaliter est: quæ v. sua naturâ determinatum partium numerum non habent, suam integritatem servari communi judicio putantur, nisi ingenti & notabili decremento imminuta sint. ita de Societatum, Collegiorum, exercituum integritate loquimur, quæ interdum majora sunt, interdum minora.

12. *Durat à tamdiu Totum, quamdiu partes coniunctæ manent:* nam hæ inter se indivisæ unitatem tuentur totius, cum totum nihil aliud sit quàm suarum partium indivisio. *Ubi tamen, quò idem sit, quod fuit, atq; integrum maneat, non est necesse ut eadem omnes simpliciter partes semper adsint:* quin esse idem totum dicitur quibusdam licet remotis & aliis in earum locum substitutis. Ita eadem Resp. manet, licet, qui eam condidêre, omnes decesserint, quia locus eorum à successoribus tenetur. sic idem est fluvius, etsi non eadem aqua: &

eadem

eadem vestis atq; navis etsi partium novarum additamentis sarcitæ; atq; idem homo quamvis partes quædam per expirationem abeant & novæ in supplementum veniant. Fundamentum est totius compagis, quâ partes suo ordine inter se cohærent, inconvulsa unitas: è formæ n. unitate rei æstimatur unitas & Identitas; quia hæc sicut facit vt tale sit, quod est; ita quamdiu ipsa adest, tamdiu manere totum dicitur, licet partes quædam pereant.

13. *Quamvis si rem Metaphysico acumine ad vivum reseces, certum sit, non manere simpliciter Idem, quod non easdem partes atq; habitudines retinet*, multumq; præsens ab illo Hectore, ut Æneas conqueritur, mutatus sit, & nos sic etiam vulgo loquamur: in rerum tamen materialium tot mutationibus obnoxiarum unitate dijudicandâ atq; determinandâ, si quis earum conditionem ad rerum immaterialium immutabilem identitatem exigeret, atq; singulis momentis fieri aliud corpus affirmaret, licet non mentiretur, rationem tamen desereret, quæ jubet rebus diversis diversa accommodare judicia, quantum cujusq; natura patitur. Idea Identitatis communis quidem est spiritualibus atq; materialibus: sed in hisce est imperfectius, sicut & vita & sensus. Quare negare corpus esse idem, quia non sit ita ut

Angelus, est negare esse unum quia pluribus constat (plura n. non sunt unum) & non esse perfectum, quia tot defectibus laboret: sic n. solus Deus est illud τὸ αὐτοτελὲς & unum & perfectum, quiq; solus, ut divinus vir loquitur, immortalitatem habet. Rem a. unaquamvis in se esse considerandam & quantum Idea communis ipsi competat prius attendendum, antequam in contentionem cum aliis adducatur, jam sæpe monuimus.

14. *Cum vero mutata priori partes novam formam accipiunt, nihil obstante identitate materiæ, fit aliud:* ut quum ex navi domus ædificatur, ex societate Civili legitur exercitus. Cum similis forma reducitur idem dicitur, ut cum homo suscitatur à morte, cum domus destructa ex iisdem partibus reficitur, vestis soluta resarcitur. Ubi, *ut identitas manere putetur*, requiritur, ut forma & partes principales, sive illud fundamentum ex quo Identitas dijudicatur, maneat. De Romanâ n. Rep. ut eâdem, ni fallor, cogitamus & loquimur, licet ex Aristocratia in Principatum, & ex hoc in Regnum transierit.

SECT.

SECT. III.

De Vnione Partium.

15. *Vnio est status rerum junctarum in unum.* *Unire* est facere ut duo sint unum: quare unio nihil est aliud quam illa partium *junctura*, quâ continentur, ut unum ex pluribus fiat. Solet interdum *vinculum* dici, quod tamen non est ipsa unio, sed efficiens unionis. Illud n. partes jungit, &, ne solvantur, continet; *unio a. videtur esse partium junctarum mutua præsentia*; quia præsentiam partium cum concipimus, jam concipimus earum unionem remotâ quacunq; aliâ Entitate modali, quam unionem vulgo vocant. Est n. præsentia illa non consequens unionis & tanquam effectus: sed ejus, ut sic dicam, formalitas. Aliud a. est *Unitio* aliud *unio*. illa est actio uniendi, hæc unitorum status, quo præsentia sunt.

16. Vnio vel fit per *nudam Adsistentiam* sive Adjacentiam, vel per *Hæsionem*, vel per *Pendentiam*. *Hærere est tenenti alicui adjunctum esse.* Hærent quæ tenentur ne labantur vel progrediantur, ut pix hæret in manu, homo in curarum tricis. Hinc Adhærere, Cohærere. *Pendere est tenenti adjunctum esse cum*

inclinatione deorsum versus. Hærent quæ pendent omnia, non contra. hæret in luto homo erectus, non pendet; pendet a. & hæret cum affixus in colle consistit & deorsum respicit. *Suspendere* est facere ut quid pendeat.

17. Actiones uniendi sunt *Ligare, Nodare, Figere, Irretire, Implicare, Nectere, Circumdare, Glutinare, Involvere, Contexere, Consuere, Constringere. &c.*

18. In unione considerari possunt, *Vniendorum concursus, Præsentia, Complexus*. Nisi n. in unum concurrant non fit unio: facto concursu præsentia sunt: eoq; ipso, si propius invicem admota fuerint, complexu se tenent. *Complexus est immediatè præsentium contactus quo unum ambit alterum.* Immediata n. præsentia tantum complexum infert; unita generalius dicuntur quæ in communi loco consistunt licet se non contingant. unam navim non faciunt ligna nisi immediatâ junctură commissa; classem unam plures naves faciunt in communi loco stantes intervallis separatæ. Hinc & *præsentes* dicuntur qui in regno sunt vel urbe, cum ad majorem distantiam fit comparatio; & tamen sunt absentes, quando coram alloqui non licet. Hinc *unio est vel arcta vel, laxa: Arcta* cum partes intimo & indistanti complexu se comprehendunt: *Laxa*, cum

cum partes junctas intercapedo distantiæ intercedit. hinc *Luxationes, Pressiones, Densationes, Conspissationes.*

19. Quæ Concurrunt *constituunt, Accedunt, Adeunt, Adrepunt, Insinuantur:* quæ Præsentia sunt *Coëxistunt*, hoc est, *in eodem loco & tempore sunt:* quæ se complectuntur *Adsumuntur, Tenent, Comprehendunt, tandem & Concrescunt & Coalescunt.* Concursum a. facit *Collectio, Mistio, Compilatio, Complicatio. &c.*

20. *Vnio est vel corporalis vel incorporalis.* illa est corporũ in uno loco consistentiũ præsentia; hæc est rerum rationalium sive inter se, sive ad corpus. *Hæc rursum dupliciter fit:* vel n. res rationalis alteri propriâ substantiâ se adjungit, sicut anima corpori unita est, & dũo Angeli in uno spatio consistunt; vel aliquo intellectus actu aliud sibi alligat. Sic Dominus nullo intercedente corporali vinculo unit sibi res subjectas, qui fixâ dominii cogitatione & possidendi proposito eas sibi applicat: & inter Maritum & uxorem est unio consensu rationali inita, cum in unitatem vitæ conspirant. *Illa facta corporali separatione tollitur, non hæc;* quia Dominus & Res, Maritus & Vxor unum manent, licet locis divisa. Tollitur a. cum alterum aut omnino perit, aut fundamentum, quo

vinculi | vis nitebatur desinit. sic Dominus esse desinit vel cum res interiit, vel cum ipse possidendi animum abjecit.

21. Hæc unio *Moralis* dicitur, quia requirit Agens rationale, quod solum certis moribus agit; habetq; idem cum materiali unione fundamentum. *Nam ut corpora materialibus vinculis continentur: sic spirituales mentes certo intellectus actu inter se obligantur vel aliud sibi alligant.* Hinc *conscientia vinculum* quo obligatus ducitur, perinde ut catenâ injectâ animal. Sunt autem tales uniones pro actuum varietate diversæ, ut Pacta, Conventa, Fœdera, Colluſiones, Factiones, Conjurationes, Sectæ, Conjugia &c.

SECT. IV.

De Modis Vnionis.

22. NOn hic agemus de ordinatâ & inordinatâ quæ ex ſociandi debitudine intelligitur; ſed de iis, quæ ratione ſpeciali ſtatum unitorum afficiunt, ſunt autem. *Per ſe, per Accidens: Principaliter, Minus principaliter: Remote, Propinque ſive Mediate, Immediate: Adæquate, Inadæquate: ſimpliciter, ſecundùm quid: Extrinſece, Intrinſece: Neceſſaria, Contingenter: Abſolutè, conditionatè.* 23.

23. *Per se unita sunt, quæ certo agentis proposito & destinatione junguntur*, ut corpus & anima, vagina & gladius; cum aqua, vinum, oleum vasis, quibus continebantur, casu confractis confluunt, mistio *per accidens* est. *Per se*, hoc est naturæ instituto, omnes naturalium corporum partes junguntur; *per accidens* ex ligno fit mensa; quia ad id peculiari proposito à natura non destinatum est; sicut & per accidens hæc pinguedo asini potius est pars quam serpentis. Esse ergo *Per se vel per accidens ex efficientium proposito æstimandum*, non à partium inter se habitudine. nam cum omnis pars ratione sui sit indifferens, ei utiq; accidit, quod ad hujus potius societatem ab efficiente trahitur, quam ad alterius.

24. *Principaliter unita sunt, quæ ad totius constitutionem imprimis pertinent*, ut fundamentum, parietes, tectum, Dux & exercitus. Calonum turba *minus principaliter* & carnificum ad illas societates pertinet.

25. *Mediatè* juncta sunt, inter quæ intercedit aliud, *Immediata* se proximè contingunt. Idem fermè est *Remotum* & *Propinquum*, nisi quod propinquum non semper Immediatum sit.

26. *Adæquate* juncta sunt quæ se quoad totam extensionem comprehendunt; *Inadæquate*

quatè cum unum alterius partem tantum contingit, non totam latitudinem. Oceanus Antverpiæ inadæquatè junctus est: & sonus acutus est objectum auditus inadæquatum, quia & gravis auditur.

27. *Simpliciter*, quod secundum omnem partem & respectum tale est, quale dicitur, & secundum se totum alteri unitum: *Secundum quid*, quod secundum aliquam partem & respectum. Deus simpliciter est bonus, quia nullus excogitari respectus potest, quo malus sit; culter non est simpliciter utilis. Huc pertinet *Totaliter & partialiter*. amat quis alterum non simpliciter & totaliter, sed ob eruditionem; aversatur ob malos mores.

28. *Extrinseca* sunt quæ alterius extrema ambiunt: quæ ambiuntur sunt *Intrinseca*.

29. *Necessario* juncta sunt quæ separari nequeunt; *Contingenter*, quæ sunt separabilia. Cum inter unita talis intercedit respectus ut secundum se ipsa ab invicem abesse nequeant, *absolutè necessaria* dicitur unio; quando a. duo secundum se contingenter, propter tertium aliquod extraneum necessariò cohærent, *est necessaria conditionatè*. ut homo sit Philosophus, non absolutè necesse est, ut pedes habeat: sed si philosophus saltare debet, ut pedes habeat necesse est. Quare Absolutè competit, quod

rei

rei quatenus ipsa in se talis est competit; conditionatè quod rei competit suppositio aliquo respectu, quo ablato non necessariò competit. donatio absoluta est cum simpliciter ex meâ liberalitate quid donatur; donatio propter nuptias conditionata est, quia ipsarum intuitu fit, alias non futura.

30. In universum *Necessitas est talis rei statu, quæ aliter ut est, esse nequit:* sive propter intrinsecam sui habitudinem, sive propter circumstantiam extrinsecam, quæ facit ut sit, eo quod ipsa circumstat. *Contingentia* est status rei quæ ita est, ut possit esse aliter. homo necessario rationalis est, contingenter pulcher. Et quod ad existentiam, si rem recte putes, solus Deus necessarius est, quia definere absolutè non potest: Angelus dicitur necessarius, quia per vim creatam nequit desinere, non respectu Dei.

CAP. II.

De Unitorum Affectionibus; in specie de Habere sive Habitione.

SECT. I.

De Habere.

EX conjunctione Rerum necessario fluit *Habitio, Ordo, Respectus.* Nam unita se mutuo

mutuo habeat; intercediteq; eo ipso inter ea Ordo, qui non potest non partium ad invicem Respectus trahere.

2. *Habere est alicui esse junctum.* quod n. habeo, mihi iunctum est, sive corporaliter sive incorporaliter. *Quod est Principale, habere dicitur; minus principale haberi.* totum habet partes, homo pecuniam, non contra: Vbi tamen multum loquendi consuetudo valet. Quæ habentur *Spectare, Competere, Pertinere* dicuntur. Spectant n. certo vinculo alligata ad aliquem, ab aliis aversa, & applicata competunt: quamvis, quod observandum, illæ voces interdum non actualem habitionem declarent, sed Ius & destinationem, cum de cuius officio est sermo. ut ad hominem spectat rationaliter agere, competit Regi pastorem esse populi.

3. In Habitione consideranda *proprietas, Possessio, Dominium*; quæ non exhauriunt quidem universam eius latitudinem: sed species illustriores sunt. Nam qui rem alienam pro tempore tenet, nec propriam habet, nec possidet, nec Dominus est, & habet tamen.

4. *Proprium est quod ita est meum ut eo modo tuum non sit.* Nimirum commune indifferens est, Proprietas tollit indifferentiam atq; uni applicat. Cuius aliquid applicatur, eum

ea

eo facit unum: quare cum duo in unum coalescunt, impossibile est, vt dum huic iungitur simul & secundum eandem partem ac rationem iungatur alii. *Ex applicatione igitur Proprietatis titulum exsurgit, vt aliud sit Meum, aliud Tuum.* Applicatio fit per reductionem ad vnum & diuisionem ab aliis. Nam quod à te est diuisum, tibi non iunctum est; ergo non habes.

5. *Res n. prout à natura proferuntur indiuisæ sunt*, & in medio positæ, vt nullus dicere possit: hæc terra, arbor, fluvius, boum grex, mea sunt; sicut nemo nunc potest dicere ad me proprietario iure pertinet aër, imbrium fœcunditas, calor solis.

6. *Cæterum ex parte cuiusq; ponitur ius & facultas propria, cuius vi communia illa sibi applicare & facere propria potest.* Ita singulis hominibus competit hauriendi aëris ius, quod ita cuiq; est proprium, vt nullius sit alterius, licet alius simile habeat. Per huius facultatis actuale exercitium res applicatur & in statum proprietatis deducta communis esse desinit: quia quem ego spirando aërem traho, tuus fieri nequit.

7. *Atq; ita si res manssissent indiuisæ per proprii tamen iuris exercitium earum pars euasisset propria.* Nimirum de fructibus quibuscunq;

cunq; cujusq; terræ sumendi cuiq; ius fuisset, ita quidem. vt nemo, nisi violato ipsius iure, ab eorum vsu potuisset arceri; & tamen quod Pomum ego sumpsissem Tu eripere non debuisses: quia pro meo jure cum illud mihi prior applicuerim, tu applicandi ius posterior amisisti, translatâ re in eum statum, quo non est amplius alii applicabilis. Non n. licet tibi meum ius eripere, quia illud, vt reliquarum rerum vsus, tibi subiectum non est: sicut & hodie cuiq; licet sua commoda quærere: sed citra alterius iniuriam.

8. *Divisione* igitur, hoc est, rei è medio deductæ ad certum quoddam, aliis exclusis, applicatione tollitur Communitas; vel simpliciter vt vnus eam totaliter habeat: vel secundum quid, vt plurium vsibus pateat, non omnium. Illa *Privata*, hæc *Publica* dicuntur.

9. *Publica* sunt quæ ad aliquam societatem pertinent, vt Pascua, sylvæ, patentq; vel *singulis* vt bibliothecæ; vel *soli communitati* vt naves, tormenta. Et hæc naturalis communitatis imaginem exhibet: quia nullus dicere potest, hæc classis mea est, sed est Nostra. *Propria* tamen sunt, quia in possessione alicuius communitatis sunt, ad quæ aliis ius nullum competit, vt ager populi Romani.

10. *Privatum*, quod ita est vnius vt eodem modo

modo nullius sit alterius vt propria cuiusq; vestis, domus, equus. & hoc specialissimè Proprium est.

11. Cognata significatione *Communia dicuntur quæ pluribus conveniunt*, licet vnumquodvis sibi habent proprium, naturæ tantum similitudine cum reliquis idem. Sic nutriri commune homini cum leone & piscibus est, licet singula propriâ facultate nutriantur. Hoc sensu *Proprium est quod uni tantum sive individuo competit sive speciei*. ex quibus patet *Communia & Propria dici vel ratione usus & possessionis; vel ratione similitudinis & Attributionis.*

12. *Quod non est meum, alienum est.* Aliud à me est, quicquid extra meum circulum est; Alienum quod mihi non est iunctum: sive quia non debet, sic insipientia ab homine aliena est; sive quia mihi de facto non adest, ut aliena domus, vestis, ius.

13. *Incongrua nemo habere debet*; quia à conditione eius aliena sunt: quin si habet defectu deformis est. Nemo eget cornibus, etsi non habeat.

SECT.

SECT. XI.

De Possessione & Dominio: & quot modis aliquid haberi definat.

14. *Possessio est tenentia in suâ potestate.* Tenere est rem habere suis viribus adjunctam, ne elabatur. Meus est Deus, Princeps, Pater, Amicus quæ non possideo: præter n. applicationem ad Habere requisitam, ponit in possidente potestatem, quæ possesso insidet suisq; tenet viribus ne à se solvatur.

15. *Sed & præter illam tenentiam sive κατοχὴν requiritur actus rationis cogitationem possessionis in re figentis atq; adse pertinere asserentis.* Non n. possidet formica quæ sibi præparavit alimenta, neq; is qui alieno equo insidet: quare *Possessio est tenentia agentis rationalis aliquid tanquam suum sibi applicatum habentis ad usum convertibile.*

16. Possessiones cum res possessas, non actum possidendi significant, *Thesauri, Divitiæ, Opes, Bona dicuntur*; sunt q; res ad vitæ humanæ usum applicabiles.

17. *Dominium* est jus utendi re subjecta: *subjectum* est, quod sub alio est, & ei alligatum, ut hoc movente moveatur & ipsum. ut juben-

tē

te Deo omnes ad ejus nutum moveri par est.

18. *Requiritur ad Dominium potestas motrix, & causa cur talis potestas domino competat.* unde in bestias ut propriè possessio non cadit: ita nec Dominium. Pueri atq; amentes etsi actualem intentionem in re figendo sibi dominium adferere nequeant, Domini tamen sunt; quia destinatione Ideæ ipsis rationis usus debetur; quibus propterea humani generis favor res suas conservat & ad ipsos pertinere judicat. *Causa, cur alicui Dominium competat, dicitur Titulus & est factum, sive nostrum sive alienum.* Nam cum possidens & possessum divisa sint, nisi aliquo interveniente actu jungi nequeunt. Deus res omnes titulo creationis possidet; Homines donationis in respectu ad Deum; & quia res communes dividere humano generi placuit; hinc Meum fit aliquid jure occupationis, emptionis, Permutationis, donationis, Inventionis, & qui alii sunt acquirendi dominii tituli.

19. *Aliter se habet Dominium circa res communes, aliter circa res propias.* Priori modo est facultas rem communem ad privatum usum convertendi, posteriori, est potestas de re propriâ disponendi ad suum usum.

20.

20. Est a. Dominium *vel in Res*, ut Metalla, Plantas, Animalia; vel *in Personas* ut homines.

21. Res in potestate nullius existentes Communes sunt, quas capere licet, qui prior capiendi voluntatem & actum habet: *Persona nulli subiecta Libera est* proprio & suopte motu de se & de rebus suis, nemine prohibendi ius habente, disponendi facultatē obtinens.

22. *Tamdiu durat Possessio quamdiu animus possidendi & facultas adest*: quæ definit *voluntariâ Traditione: Derelictione, Amissione: loco ubi recuperari nequit detentione: rei Corruptione.*

23. *Tradere est facere, ut quod est meum, sit Tuum.* Et in hoc propriè abalienatio consistit. *Derelinquere est* sponte se abiungere & nolle habere amplius, vel ut res sibi sit in naturali statu constituta (ut cum dimittitur avis) vel sit illius, qui eam suam fecit, vt qui rei furto ereptæ possessionem animo abijcit. *Amittere* est rei sine voluntatis propriæ intercedente pleno actu amotionem pati: quod fit, vel cum abiunctio nobis non sentientibus fit, vt cum annulus amittitur; uel cum vi aufertur aut ipsi inviti tradimus aut relinquimus. ita amicos morte amittimus; naufragio bona & quod è manibus elapsum inveniri nequit: latronibus

bus data amissa dicuntur; quia non plena voluntate dantur. *Rei loco iniquo detentæ* possessio amittitur, cum maior vis ereptam detinet, cum bestia se in naturalem libertatem recepit, cum in mare incidit. *Corruptione* cum desinit res, desinit & eius possessio: vt domus incendio delera.

24. *Traditio, Derelictio, Amissio differunt*, quod prima rem suâ sponte à se abiungendo alii adiungat: altera quod plenæ voluntatis actu aliquid sibi amplius esse nolit. (quod tamen, vt de derelinquentis animo aliis constet, externo aliquo signo indicandum.) *Amissio* a. includat actum quo vellet sibi rem adhuc esse nunquam plenâ voluntate amotam: atq; hoc sensu tam quæ corrumpuntur, quam quæ iniquo detinentur loco, ad amissionem pertinent. Amissa n. sunt licet habendi voluntatem retineas, nisi aufugientium e. g. bestiarum externis quibusdam actibus atq; signis dominium tibi arrogare possis. *Renuntiari* dicuntur, quibus q. misso nuntio indicitur, vt suas res sibi agant, nihil commercii habitura cum iis, à quibus antea habebantur.

25. *Dominium ijsdem modis desinit*, si detentionem injustam excipias, contra quam ipsum habendi jus actionem dat, quâ res justo Domino adseratur, vindicetur. Quamvis n. [illegible] *laborem* [illegible] *lercando*,

tiæ res subtracta est, non tamen est ereptus ti tulus, cuius vigore tibi eam de jure arrogare potes atq; vindicare.

26. Est 2. *Arrogare* dicere aliquid ad se pertinere: sive ex vero illud sit, sive ex falso. *Arrogantia* in vitio est, cum quis ea sibi tribuit, seu se habere affirmat, quæ non habet. tales n. mendaces & Vanos dicimus. *Vindicare* est rem suam actu repetere.

CAP. III.

De Rerum, quæ habentur, Acquisitione, Vsu, Fruitione.

1. *Nihil habetur, quin causa afferri possit, unde & cur habeatur.* Vel n. habet à se ipso, quæ habet, vel accepit ab alio. Illud recta ratio dictat tantùm esse Deum; quare ipse habet omnia quia Deus est; res creatæ, qua habent, accepêre à Deo.

2. *Acquirere* est non habitum accipere. quod in pleno suo conceptu ponit *Quærens, Inveniens, Accipiens. Quærere (Investigare, Inquirere)* est actus in rem non habitam vt habeatur. *Invenire (Deprehendere)* est ad rem non habitam venire: *Accipere* est se movere in rem & uniendo suam facere. Accipiens n.

manus

manus injicit, comprehendit, tenet; quod fit *Asservando, Capiendo, Auferendo, Rapiendo, Eripiendo. Occupare* est rem accipere in potestatem. Accipiens n. insidet ei, atq; insidendo excludit alios ne capiant. Sicut n. duo corpora in vno loco esse nequeunt: ita nec potest una res in solidum occupari à duobus.

3. *Quæritur quid*, etiam sine habendi intentione, si actus ita comparatus sit, vt tale quid procuret; sic temeritate pericula, intemperantia morbi quæruntur: *Invenitur* aliquid casu, vel cum quærendi cogitatione. Cum res suas naturas à Deo accepisse dicuntur, ex ipsarum parte nihil ponitur, quo oblata excipiant: quod alias in quavis acceptione est necessarium. nam quod non est, non est accipiens.

4. Acquisita *Consequi, obtinere, Potiri, Comparare* dicimur. Quærens n. agendo tamdiu sequitur vestigia rei, donec adsequatur; quod Inventionem & Consecutionem vocamus. *Inventio* propriè est cum quid in nullius jure exilteus occupatur, vel à nemine animadversum detegitur & profertur in lucem. Consecutionem sequitur *Comprehensio* rem inventam tenens. Hinc obtinere & tenere.

5. Quærit quis vel per se, vel [illegible] vel *sua expendendo, vel adhibendo*

Mercando. Venando, Rogando. Rei cognitio quæritur, *Probando, Percontando, Discutiendo, Tentando.*

6. *Accipitur aliquid cum dat alius*, vel cum nullo dante sumitur. *Dare* est actus rem habitam alii applicantis. Nam quod non habes, dare non potes: & nisi quod habes adjungas alii, non das. Adjunctio a. cum ejus, cui adjungitur acceptione fieri debet; quia nulla sine Acceptione Datio est. Nimirum Dans suum alteri in conspectum offerre debet & ei applicare, quod non fit, nisi Accipiens ad oblatum se adjunxerit (nam ut applicatio fiat utrumq; requiritur) & adjungendo comprehendat tenoatq;. Vnde cum oblatum nemo accipit, nulla est Datio, sed Abjectio; ut cum pecunia ad me proiecta in mare incidit.

7. *Competit a. iis propriè Datio*, quæ non ostendunt tantum, quæ habent, ab aliis sumenda: sed & offerunt & actu peculiari applicant: Canis dat baculum Domino ore gestatum oblatumq;: non dat arbor poma, quæ oculis exhibita capiuntur. Quare peculiaris actus applicationis requiritur, licet in hisce loquendi consuetudo sibi multùm indulgeat.

Vsus est rei habitæ ad aliquid applicatio, n. non habes, eo non potes uti; & habi[illegible] opus intentum applicabile esse debet

ad

ad secandum n. lignum pennâ scriptoriâ non uteris.

9. *Abusus est rei applicatio illegitima*: vel cum res non ad debitum applicatur obiectum, vel non debito modo. Illo modo tempore abutitur, qui id actionibus ineptis terit; & gladio, qui eo marmor secat; posteriori modo intemperans abutitur cibo.

10. *Fruitio est ex rei commodæ usu sensus commodus.* Vtimur multis, quibus non fruimur, quorum scilicet usus perceptionis iucunditatem nullam habet, ut gladio, consilio, tempore, oculo, lege, amarâ potione, causticо. Nutrimento a. & iucundo aliorum colloquio fruimur, quia eorum usus grato sensu animum perfundit.

11. Huic definitioni illa Augustiniana congruit, qui dicit *Frui esse amore inhærere alicui rei propter seipsam.* Quicquid n. gratum sensum ingenerat, suâ nos proportione tranquillat, ut ei ideo adhærere velimus, qui illâ commoditate affici volumus. unde non fine tantum ultimo fruimur: sed & intermediis, qui ad ultimum utiles sunt, & ipso usu delectabiles. Fine a. ultimo (qui est Deus) non utimur, sed fruimur tantùm; quia ipse actionum omnium meta extrema est, ad ulteriorem nullam dirigibilis. Quare in ipso sistuntur agentes, atq; e-

ius communione inestabilibus circumfusi deliciis fruuntur. Qui summum illud bonum acquirendo alii accommodat, non tantùm auro hamo piscatur, sed & gravissimo nefariæ busus se scelere obstringit.

12. Quia sapiens creator Res, quarum nulla se solâ sustentatur, crescere & fœcundas esse efficaci benedictionis verbo iussit, sequitur utiq; eum singulis accommodata constituisse, quæ ad suum statum conservandum acquirerent adhiberentq; & acquirendi dedisse vires. Nam aliàs unum sine altero frustra esset. Vires a. ius agendi dant, ut accipere liceat id, cuius accipiendi potestas concessa est: quæ frustraneæ essent, si accipere esset nefas. *Cum omni utilitate* (inquit Cicero 1. de Div.) *quam Dii hominibus dederunt, ars aliqua cognata est, per quam illa utilitas percipi possit.*

13. *In homines vi, jus sublimius collatum est*, non tantum in robore agendi consistens, quo armatus & rerum ipsarum commoditatem sibi licitè inservire facit, & adversus alios munitur, ne ab libero earum usu depellatur. Leo cum reliquis bestiis à communis aquæ usu accessum habendi, us non insingit magis, accusem ego alienum averrendo aquem, ne ager irrigetur, efficio, quod cum homo facit homini injuria reatum incurrit. Neq; capiendi aut

ius

jus amisi cum simia prior inventam torquem collo applicuit, quin ut ad capiendum aurum: ita in simiam ipsam mihi jus necis competit, si aliter accipere aurum non possim. Eripere a. homini inventam torquem est eripere ei illud à creatore datum ius, quo rem inventam ita suam facere potest, ut alii citra voluntatem ipsius (liceat sic loqui) non sit acquisibilis. Deus n. ut dixi, Rerum Dominus est, quia eas condidit: Homo est Dominus, quia Deus ipsi res in rationalem usum tradidit; absq; qua traditione non magis liceret bestiam occidere, quam manus injicere homini. Res n. aliena esset, in quam mihi jus nullum competeret; sicut nunc post divisionem rem alienam usurpare non licet.

14. Et quidem *in illa acquirendi facultate admirabilis instinctus vis & varietas eminet, quæ in bestiis obscurorum rationis rudimentorum speciem exhibet.* Nam & inopi metuens formica senectæ sedula est, & innatus habendi amor apes urget, ac in campos, hortos, sylvas agit: ut de vulpibus pisces exsiccantibus atq; petrarum cavernis deponentibus nihil dicam. Sunt & quæ nullâ sui curâ tacta objectis fruuntur.

15. Nimirum *res prorsum materiales ad ea, quæ opus sunt quærenda, naturalis instinctus*

agit,

agit atq; propriæ inclinationis pondere dirigit; hominem recta admonet & obligat ratio ut sibi præspiciat, non quarumdam tantùm, sed omnium partium rationem habendo. Suis n. cuiq; debetur cultus, quia finem dum debitum præstat, totius fini inservit. Non negligendum est corpus animi perficiendi studio: sed quò quid est magis necessarium id ante reliqua curandum: Et cum quisq; humanæ societatis pars exsistat, non sibi tantum, sed & aliis quærere tenetur (quod etiam divinus Apostolus præcipit) quando & manus præ reliquis membris laborem subeat; & nos ipsi aliorum ope adjuvari velimus.

16. *Quicquid debitè habetur utile est: quare recte collocandum*; quia non ut habeas accepisti, sed ut utaris. Quod usum non habet frustra est: per se a. nihil frustra est; quia suo unumquodvis fini Creator destinavit, quo excidit, cum inerti torpore jacet.

17. *Sicut res cum suo fini inepta fit, inutilis evadit atq; frustra ei adsequendo adhibetur: ita tamdiu eâ utendum, quamdiu opus est.* Cum non amplius opus, omittenda; Cur n. nullo usu adhiberes? restituti ad sanitatem scipionē abjiciunt. An ergo Grammatica non discenda quia linguæ usu exercitati de ejus regulis non cogitamus amplius? sanè extructâ domo machi-

nz

chinæ quibus insistebatur, removentur: neq; scribendi habitu præditus ad Magistri exemplum reflectitur; & utrumq; tamen ab initio est necessarium.

18. *Cujus quid acquirendi vires nullas habet, si recte sese habet, evidenti indicio est, illud ei non deberi.* Non n. eget illo ad suum finem, quare neq; aptum est neq; desiderari potest, nisi desiderio absurdo & naturæ rectæ disproportionato. Est ne res lachrymis digna quod alis destituto tibi in lunam evolare non licet?

19. *Ut quævis facultas, ab reliquis diversa, peculiari instinctu suo fine frui optat: ita rectæ rationis officium est, suos cuiq; limites præscribere, ne incerto cursu errantes mutuò se impediant, & suscepto certamine totius harmoniam turbent.* Turbant a cum una, reliquis insuper habitis, sibi soli inserviri postulat. Non in solum ventrem cura intendenda, non solis spectaculis hauriendis impendendus spiritus: sed & aures frui suo fine volunt atq; oderatus. ita incumbendum cognitioni Rerum, ut & facultas cogitata orpatè eloquendi comparetur, atq; excolatur illa in externis gestibus ad actus elegantiam idoneè exprimendā promptitudo. Suum ergo cuiq; tribuendum, quantum res fert & recta præscribit ratio: ita quidem, ut *ad supremum finem, etiam cum quarundam partium*

tium neglectu & jactura contendendum sit. Supremus n. finis est finis totius; totum a. sua parte melius est: ergo & ejus finis. Quare ut pars est abscindenda, quo totum servetur: in oculorum auriumq; omittenda jucunditas est, si cum eâ animus suo frui fine, aut cum consequi non possit; cujus unius fruitio veram tranquillitatem & jucunditatem parit.

CAP. IV.

De Rerum unitarum ordine.

1. *Ordo est rerum inter se collocatarum habitudo.* Collocare est ponere in aliquo. Ex hoc ordo resultat. Nam ut unum non est numerus: ita nec est ordo nisi inter plura. Ordinata dicuntur & Digeri, Disponi, Concinnari.

2. *Tria sunt, ad quæ generales ordinis species reduci possunt, Tempus, Locus, & Rerum Dignitas. Temporis* ordo est inter olim & Nunc, Heri & Cras: *Loci* inter Ante & Post, Sursum, Deorsum, Dextrorsum, Sinistrorsum: *Dignitatis* ordo cogitatione locorum intelligitur. Primus n. est ante quem non est alius: Ultimus post quem nullus: interjecti in medio primo vel ultimo propinquiores sunt. Sic Da-

vid

vid ætate Elavo est posterior, dignitate prior. *Ratione temporis* simul sunt, quæ Coæva sunt vel coëxistunt: *Ratione Loci*, quæ in uno spatio præsentia sunt: *Ratione Dignitatis*, inter quæ intercedit æqualitas. Hinc *Antecedentia*, & *Consequentia*, sive *Prioritas*, *Posterioritas* & *Coordinatio* existit. Priora primum locum tenent, Coordinata in eadem serie consistunt: Consequentia post hæc sunt: & ratione dignitatis alia *Principalia*, *Præcipua*, *Primaria* dicuntur, alia *Secundaria*.

3. Solent prioritatis genera trito hoc versiculo exprimi.

Tempore, naturâ, prius ordine, die & honore
Causaq; causato dicitur esse prior.

Vbi observandum, quod Pentameter redundet, quia prioritas causæ ad prioritatem Temporis est referenda. *Naturæ prioritatem* cogitant inter duo eodem instanti physico producta, ubi, cum unum in altero necessariò consistat, illud, in quo consistitur, naturâ prius dicunt eo, quod in ipso consistit. Ita quamvis substantia solis & lumen ejus eodem instanti fuerint producta, substantia tamen naturâ prior lumine est; quia hoc, cum sit accidens, consistere sine substantiâ nequit. Sic producto corpore omnes partes simul producuntur; & tamen quia totum ex partibus constat, hæ naturâ priores

priores cogitantur quando totum non esset, nisi illæ essent.

4. *Sed hæc prioritas non reale aliquod temporis interstitium inter res infert*: Sed tantum ex parte considerantis attenditur, quando partium habitudinem inter se secundum præscriptum Ideæ æstimat. Sunt n. nonnulla quasi prærequisita & præsuppositа, sine quibus alia esse nequeunt. Hæc prærequisitio ex Ideæ habitudine fluens facit, ut suâ naturâ aliis, quæ illa præsupponunt, priora dicantur. Sic si Deus uno momento terram arboribus consitam creasset rami tamen foliis, ramis truncus, trunco radix, hâc terra prior cogitaretur: sic universale prius est particulari, animal homine, homo Petro: atq; etiam in divinis talem præsuppositionem apprehendimus, cum immortalitas ex infinitate quasi fluere concipitur. Namquia finem non habet, immortalis est.

5. *Realis prioritas atq; posterioritas Subordinationem & dependentiam* infert. Subordinatum est quod est positum infra aliud; Dependens quod alteri alligatum tenetur.

6. Verum hîc ambiguitas est: *Dependet aliquid in fieri, esse, operari.* In fieri effectus dependet à causâ: in esse conservatum à conservante: in Agere dependet agens ab eo, sine quo actio fieri nequit.

7.

7. Generaliter n. in agendo vel existendo illud pendere ab alio dicitur, sine quo esse, vel effectum producere non potest: quo sensu Dominus à servo, faber à malleo; & in universum principale agens ab instrumento, & quacunq; conditione dependet. quæ significatio latior est, & ordinem non discernit. Alio modo unius finis à fine alterius dependet, unde *subordinatio finium* existit. Sic finis frænefactoriæ à fine pendet artis equestris: atq; hoc sensu cum inter res mutuæ utilitatis respectus intercedat, una esse propter alteram & ab invicem dependere dicuntur: quæ est ipsa in agendo vel existendo dependentia, quatenus unum sine altero esse vel agere nequit.

8. Sed præter hanc mutuam Dependentiam datur alia quædam strictior, ubi est primum aliquod & independens quod reliqua à se pendere facit, tenetq; *Independens est* quod est à se & propter se: *Dependens* quod est ab alio & propter aliud. Independens est primum, adeoq; nihil ante se habens: est destinatione propriâ, non accessoriè aut gratiâ alterius: est propter se, quia melius, ad quod ordinetur, non habet. Dependens est quod non propriis stat pedibus, sed alii alligatum subordinatumq; est.

9. *Utrumq; vel est absolutè, vel secundum quid*

quod & certo respectu. Absolutè & propriè solus Deus Independens est; creata independentia sunt in certo ordine, in quo superius, ad quod referantur, non habent. Sic paterfamilias in familiâ administranda est independens, quia ejus actus alii, qui & Præses & pars illius familiæ sit (nam hoc est in eodem ordine non habere superius) nulli subsunt; & dependet tamen à Rege, quatenus ab eo in sua administratione ad publicam salutem dirigitur, atq; Rex ab independente Deo dependet.

10. *Hæc dependentia præcipuè in applicatione ad agendum consistit* (nam & quod alteri ita incumbit tanquam principali ut sine eo consistere nequeat dependere ab eo dicitur) *atq; Inferioritatem dependentis infert*. Inferioritas complectitur minorem rei dependentis dignitatem atq; agendi vim, ejusq; ad superius quid alligationem. Non n. quia imperfectior mulca est, à bove dependet; neq; ego dependeo ab Imperatore Turcico, quia ille viribus major est. Nam quæ alicui alligata non sunt & sustinentur, non pendent; neq; ad actum applicari potest nisi applicanti junctum. *Dependentia ergo est status rei alii superiori subjecta & ad agendum applicata*.

11. *Applicatio vel fit concursu cum dependente ad producendum opus, vel directione ejusdem.*

dem. Illo modo omnia instrumenta inanimata à causis principalibus pendent, penna à scriba, malleus à fabro: *Directiva applicatio est*, quâ aliquid alterius motum moderatur, ut rectè fiat; ut cum auriga equorum cursum regit, qui non ipse trahit currum, sed ut equi rectè trahant efficit. *In Deo Applicatio concursiva & Directiva concurrunt.*

12. *Applicatio Directiva Regimine fit*, ut cum Imperatore signum dante milites prælium ineunt, servus Domini jussa facit. *Quod regit Dominans, Imperans dicitur; quod regitur, Subordinatum & Dependens.* Nam, ut sæpe dictum, Dominium rei subjectæ vinculum injicit, quo ipsam sibi alligat, ut eo movente etiam ipsa moveatur; sicut in horologio priori rotæ motu reliquæ circumaguntur. Vnde tantum patet, quoesq; vinculi, quo à se dependens ligat movetq;, latitudo se extendit: quâ parte aliquid alteri non est alligatum, eâ nec est dependens, atq; nec eo movente moveri necesse habet. Sicut n. moto capite, quæcunq; in eo sunt, moventur, non a. pes vel brachium: ita Dominio res subjectas movente ea tantum sequuntur impulsum, quæ ipsi alligata sunt. Reliqua sunt libera.

13. Est n. *Dominium vel absolutum* quod rem totam sibi obligatam tenet, & *Limitatum*

quod

quod quædam tantum ligat & quoad certos motus: est *Jurisdictionis* quo creaturæ rationales reguntur, & *Proprietatis*, quo res in alicujus potestate sunt. unde Symmach. Omnia regitis, sed sua cuiq; conservatis: & Plin. imperium Principis quam patrimonium magis est.

14. *Independes est Liberum, Dependens obsequitur & inservit.* Liberum quod alteri non alligatum suo impulsu fertur; sive, cujus actus alteri non subsunt. *Est q; libertas absoluta, quæ nulli subest; vel respectiva & Limitata*, quatenus alii subjectum in multis sibi relictum est. Huc *Privilegia & Immunitates.*

15. *Obsequi est directionem alterius sequi.* Dicitur & Parere, obtemperare: fitq; vel ex necessitate obligationis, vel ex motu spontaneo se ad præscriptum alterius accommodante. Illud pro objecto habet Domini mandatum; hoc, Consulroris Consilium. Vnde illud de jure debitum est, ut mandantis jus abrumpendo vinculum violet, atq; rebellionis & pertinaciæ crimen incurrat, qui contra nititur: hoc per se non est debitum, quatenus respicitur Autoritas suadentis, cujus jus non violatur cum non acceptatur consilium; etsi absolutè inobedientia possit esse in vitio, quatenus ad legem rectæ rationis refertur. illud subjectionis est effectus; hoc à libero agendi jure est.

Nam

Namqui de necessitate obligationis alteri obsequitur, non suus est: sed eius à quo pendet: quam Dependentiam in genere Subiectionem vocare solent, &, si omne ius libertatis absorbeat, Servitium. *Est n. Servitus status hominis quoad omnes vitæ actus subjecti.* Hæc omnem extinguit Libertatem atq; actus ad directionem superioris alligat. Aliàs *Famulari & servire* dicuntur, qui aliis suam operam præstant, licet nihil subiecti.

16. *Ordini opponitur Confusio, quæ est vel collocatio indebita, vel qualiscunq; congestio.* Certis figuris constantia suis locis disponi volunt. Cum aqua, vinum, cerevisia miscentur, etiam confusionem vocamus. Hinc *Turbare, est* aliquid in alium statum seu ordinem transponere. turbantur negotia, cum alia objiciuntur; cogitationes cum interrumpuntur animo aliorsum converso; confunduntur a, quæ indecorè cumulantur in unum. unde *Chaos* est confusa mistio: *Inconcinnitas* turpitudo ordinis: *Incompositum*, quod non debitè dispositum est.

17. *Cum omnia suo Numero, Pondere, & Mensura facta sint, sequitur ea inter se eo ordine cohærere, qui non tantum pulchritudine hoc universum admirandum reddat: sed & necessaria conditio existat ad debitè agendum, ne*

ministeriorum perturbatio sit. Patet hoc cuiusq; totius partes inspicienti, ut singulæ aptâ collocatione seiunctæ sint, & certi temporis periodis suis muniis fungantur. Stomachus non est in capite, nec manus pedi annexa. estq; aliud labori tempus destinatum, aliud quieti. Et proprio sensu quivis animadvertit, se ordinis concinnitate maxime delectari atq; in eo agendi prudentiam consistere si quis suo loco singula ponere sciat.

18. *Hæc concatenatio facit ut mutua dependentia necessitudine res inter se jungantur.* Partes n. sunt ad sui functionem muneris aliorum opem requirentes. Oculus à manu, pedibusq; dependet; Dominus à servo, hic ab instrumento.

19. *Res omnes à Deô in fieri, esse, agere dependent:* quare ipse absolutum in omnia dominium habet; quia nulla est creata realitas, quæ non ab ipso sit. Quod a. ab ipso est, ei est & obligatum; destinatum quippe certo muneri, quod exequi tenetur. Quare solus Deus absolutè Independens & Liber est; creata sunt absolutè Dependentia, quia in solidum quoad omnes suas partes & respectus Deo alligata sunt, ut ipso applicante (hoc est præmovente, dirigente, iubente) obsequi necesse sit. ab eo omne ius creatum dependet.

20. *Ipse siquidem est illud Unum, Primum, Summum, à quo omnia, non res tantum: sed & facultates agendi atq; intra.* Sicut n. suprema causandi vis rebus creatis non aufert agendi facultatem, sed præbet, sibiq; subordinatas, sicut prima in horologio rota, movet: ita eminens ejus dominium non absorbet omnem dominii rationem simpliciter, ut res creata nullâ Dominii auctoritate esse insignis possit; sed sicut pro suâ sapientiâ creaturæ rationali vires dedit agendi: ita & dedit potestatem, quâ agere liceat, ejus usui res alias subiecit.

21. *Jus ergo creatum est concessa potestas quâ agere aliquid licet; res ad debitum* (hoc est à Deo præscriptum) *usum convertendo, personas alias rectè atq; ordine dirigendo.* Hoc publicæ & privatæ utilitatis termino limitatur; quia concessum est tibi jus, non ut pro libidine bestias perimas, sylvas & segetes accendas, vinum in flumen effundas: nam hoc non uti, sed abuti est, quod non licet. Ita & suorum quisq; membrorum est Dominus, quæ pro arbitrio ad concessos usus applicādi jus habet, atq; si ita res ferat, resecandi & abjiciendi; non v. illis faciendi quicquid libuerit. Nimirum *subjectum juris capax est creatura rationalis: juris, qua talis, exercitium est actus a rectâ ratione fluens:* Quare cum irrationaliter agendi à Deo

nullum jus acceperis, quàm Tu absurdus es, si aliis tuam libidinem (quâ ipsorum jus infringis) coercituris indignaris, quod agendi tibi jus eripiant & conscientiæ, uti perhibes, injiciant vinculum; cum taliter agendi jus nullum habeas; ipsi a. habeant jus coercendi, ne tui juris abusu aliis noceas?

22. *Caterum in omni rerum ordine est primum quiddam & independens*; à quo reliqua in illo ordine dependent; in familia Dominus, in Rep. Senatus, in Regno Rex, in homine Anima, in domo fundamentum.

CAP. V.

De Vnitorum Respectibus sive Relationibus.

1. *Respectus est rerum habitudo, quâ una respicit aliam.* Dicuntur & mutua ac reciprocantia, quia spectat & tendit unum ad alterum, quasi ductis ab utroq; lineis colligarentur. Requiruntur q; ad minimum duo, inter quæ illa habitudo intercedit: sic ovum aliud ovum similitudinis respectu respicit, elephas leonem respectu dissimilitudinis.

2. *Duo illa, quæ respectum ad invicem dicunt, Termini vocantur*; quia inter ea quasi fer-

tur

tur atq; volvitur: ex quorum cujusq; parte aliqua existit ratio sive causa, cur talis inter ipsa relatio intercedat. Nam Abraham respicit filium, quia genuit; servos, quia emit; amicos, quia familiaritatis jure eis junctus est. Hæcq; causa relationis dicitur eius fundamentum.

3. *Fundantur aut relationes vel in naturâ & essentiâ, vel ex aliquo actu exsurgunt.* ex naturarum habitudine respectus similitudinis & dissimilitudinis existit: ex operatione proveniunt effectuum & causarum respectus. Aliæ ex loco & tempore proveniunt, ut propinquum, remotum esse, coævum vel tempore prius.

4. *Similitudo est* habitudo duarum rerum eandem formam habentium: *Dissimilitudo est* habitudo diversa. Hinc *imago* est similitudo rei alterius formam repræsentans: *Repræsentare* est exprimere seu ob oculos ponere rei formam, uti est. Non n. nuda ad imaginem similitudo sufficit, quæ & inter duos Canes, Equos, Leones est: sed similitudo repræsentatrix requiritur, quæ secundum alterius habitudinem expressa est. Ita homo est Dei imago, pictura hominis. Quæ similitudine non conveniunt *Abludere* dicuntur: quæ similitudinis obscuriora vestigia exprimunt, *Alludere*. *Exemplum* est quod similem formam habet: *Exemplar*

xemplar cum imagine interdum idem est, interdum significat principale illud, cui imago est conformanda: unde ἀρχέτυπον vocant, imaginem ἔκτυπον.

5. Hinc pro diversâ similitudinis expressione diversi actus sunt. *Adumbrare* est formam rei crassius repræsentare: *imitari* est capto exemplo idem facere. Nam qui Ciceronem nunquam vidit, licet simili oratione utatur, non imitatur. *Æmulari* est acri animi nixu imitari aliquem & studio æquandi vel superandi flagrare. Qui imitatur, alterius vestigiis simplici fide insistit; Æmulans stimulo aliquo urgetur, ut sive eâdem sive diversâ viâ idem efficiat, vel præstantius, quàm videt ab alio factum: quod studium, quando ignobilia pectora corripit, cum plerumq; invidiam & malevolentiam trahat; hinc *Æmulatio* sæpè pro invidiâ accipitur. *Affectare* est formam rei modo inconvenienti & non naturali exprimere. Qui imitatur aptâ delineatione repræsentat, quod imitatione sequitur; qui affectat ineptè & tædiosè exprimit, dum manifestis indiciis demonstrat, se quidem imitandi studio teneri: sed rem non adsequi.

6. *Ex similitudine quid sit dissimilitudo intelligitur.* Nimirum unumquodvis sibi ipsi idem & maxime simile est, ab alio, extra se, aliud

ud & diversum. Quando n. extra proceditur, statim *Alietas & Distantia* occurrit. *Aliud* est, quod non est hoc: *Distans* quod extra alterius circulum consistens quodam interstitio ab eo separatum est. Hinc *Diversitas*, *Multitudo*, & *Distinguibilitas* sequitur. *Diversum* n. est, quia non est idem: *Multa* sunt, quia non est una unitas: ideoq; *Distincta* quia unum non est alterum. *Est a. distinctio vel secundum rem vel secundum rationem.* Illa in distantiâ reali fundatur, cum re ipsâ una realitas est extrà realitatem alterius posita, ita homo à leone realiter differt: hæc fundatur in nostro concipiendi modo, quando diversas unius rei habitudines intra unum essentiæ circulum conclusas conceptu adæquato repræsentare non possumus: sed pro diverso ad varia objecta respectu pluribus conceptibus exprimimus; qui, cum distinctis formalitatibus à nobis apprehendantur, hinc fit, ut distinctionem in re ipsâ cogitemus: sic aliud Dei potentia, aliud voluntas concipitur, quando ea diversis definitionibus exprimimus.

7. *Diversum* interdum idem est quod aliud, interdum omnimodam dissimilitudinem declarat: sic & diversum & varium interdum distinguuntur. *Diversitas videtur conceptum negativum habere, varietas positivum.* dum n. varia

varia dico, certam cuiq; habitudinem tribuo; cum dico diversa, removeo habitudinem eandem; nisi forsan hanc removendo pono aliam dissimilem. Ita color à frigore diversus est, non varius; & tamen cum res varias dico colorem & frigus simul complector. Hoc ergo sensu varietas in communi similitudine consistit, estq; rerum ab una communi Idea in diversas habitudines progressio; ut varia sunt corpora lapis, aurum, lupus, quorum quodvis ab altero diversum est. varietas ergo in suo conceptu diversitatem includit.

8. *Sed non omnis Alietas similitudinem tollit.* Est aliud, quod hoc ipsum in particulari non est, & tamen aliquâ formâ ei simile: imo omnis similitudo alietatem habet (est n. inter duo) aliâs esset Identitas. *Dissimilitudo ergo est habitudo rerum distinctarum formis non convenientium.*

9. *Ex hisce consanguinitas Rerum, Cognatio, & Peregrinitas sive ἀσυγγένεια intelligitur.* Consanguinitas est rerum eandem naturam specificam habentium: Cognatio & Affinitas est rerum convenientium quadam naturarum similitudine, propriis essentiis differentium. Ἀσυγγένεια est rerum naturis prorsum distantium. Inter homines est consanguinitas; cognatio inter canem & lupum, simiam & circopithecum

pithecum; inter elephantem & anserem ἀσυμμετρία est.

10. *Hinc proportio & disproportio nascitur.* Illa est respectus habitudinum convenientium; hæc respectus habitudinum non congruentium. Iustæ vires negotio conficiendo proportionatæ sunt; vestis nec laxa nimis nec arcta proportionata corpori; pes ingens, etsi pulcherrimus, homini parvo disproportionatus est.

11. *Ex Proportione Harmonia exsurgit, ex Disproportione, Disharmonia.* Illa est variarum habitudinum aptâ proportione se respicientium respectus; hæc ex ineptis habitudinibus emergit. Proportio est inter sonum & aurem, non harmonia; & illa videtur in duo esse; hæc inter plura.

12. Inter Similia *Consensus, Amicitia, Concordia* existit: inter Dissimilia, *Dissensus, Oppositio, Repugnantia.* Consensus est idem cum altero sensus: Amicitia est rerum idem velle habentium: concordia est status rerum idem sentientium & volentium. Quæ n. similia sunt, idem possunt sciunt volunt, eoq; ipso conciliantur.

13. *Dissensus* est rerum diversos sensus habentium: *Oppositio* est habitudo duorum in diversis extremis positorum: *Repugnantia* est oppo-

oppositorum hostilitas. Nimirum, ut supra dictum, cum extra cujusq; confinia proceditur, occurrit Alietas, quæ formæ cognatione ei juncta est aut non est. Cum non est, aut quacunq; distantiâ sejunguntur, aut in terminos excurrunt oppositos, hoc est, unum sursum, alterum deorsum, antrorsum, retrorsum. Talia opposita dicuntur, quia è regione posita se respiciunt interjecto intervallo separata. Hinc fit, ut dissideant, hoc est, ex adverso sedeant conjungi renuentia: quia eo ipso quò in opposita extrema feruntur, oppositas inclinationes habent, ex quo necessario dissensus & repugnantia sequitur, talia sunt, calor frigus, sapientia stultitia, Nigredo Albedo, Austerum Dulce.

14. *Oppositio est triplex, Contraria, Privativa, Contradictoria.* Contraria est inter duas formas positivas ex adverso distantia. Privativa est alicujus formæ à suo defectu distantia: Contradictoria est Entis simpliciter à non-ente extrema distantia. cæcitati visus privativè opponitur; visus non-visui contradictorie: nam contradictio est ejusdem de eodem eodem respectu affirmatio & negatio; ut Petrus est animal, Petrus non est animal.

15. *Per hanc distantiam fit, ut posito uno tollatur alterum*; ex eo nimirum loco, quo unum

num positum est. Alias qui unum ponit, alterum consequenter admittit, non quod necessario in rerum naturâ existat: sed quia oppositio sine duobus adversis cogitari nequit.

16. *Ex hisce patet esse respectus quosdam Essentiales, alios Accidentales.* Illi ex ipsâ rei substantiâ, eo quod talis est, emergunt; hi ab aliquo actu existunt. Illorum fundamentum est essentiæ divinæ communicabilitas; horum quædam operatio. Nihil n. est, quod non ad aliud aptitudinem habeat, quia nihil est sibi: sed gratiâ alterius: hæc v. aptitudo respicit id cui apta est; estq; apta, quia talis ipsius essentia est. essentialiter igitur respicit. Nam intellectiva potentia ad intelligendas res essentialiter est apta, talemq; ad eas respectum dicit, ut, si nullum posset esse intelligibile, ipsa etiam potentia intellectiva simpliciter impossibilis esset: Convenientiæ ergo rerum atq; disconvenientiæ respectus essentiales sunt.

7. *Quæ ab aliquo actu exsurgit Relatio, accessoria est*, ut sutorem, Regem, Emptorem esse. Vnio n. inter unita præsentiæ respectum efficit: nulla a. sine actu fit unio; quare ut extrinsecus quidam respectus alicui competat, necessarius aliquis actus est.

18. *Quædam Relationes termini utriusq; existentiam ponunt, quædam non.* Non est Dominus

minus nisi servum, non venditor nisi emptorem habeat: genitus a. esse potest genitore licet non amplius existente. Ratio diversitatis est, quòd illæ in mutuâ utriusq; termini coexistentiâ consistant; hæ in actu quodam transeunte, actualem n. terminorum conjunctionem supponunt, quæ si solvitur, impossibile est, ut respectus actualis unionis maneat; sicut rupto fœdere societas fœderalis esse integra nequit.

19. *Cur accessorius respectus Deo tribui non possit causam nullam video.* Nam si realiter rerum est conservator, necesse est, ut conservatoris respectus in ipsum competat. Neq; mutatio aliqua in ipso est metuenda, quia respectus erga res desinentes cessent; nam omnes eum cum singulis rebus realiter concurrere affirmant, qui tamen concursus, rebus mutatis, sine ipsius mutatione cessat. Ex concursu a. illo ille respectus exsurgit.

20. Cæterum artificium Creatoris admirari par est, qui singula essentiæ identitate convenientia peculiari vultu signavit, ut discerni possent. Nam si figuris, gestibus atq; sonis exactissimâ convenientia omnes invicem similes essent, quomodo servus à Domino, Mater à filia dignosceretur? & an non tale quid etiam inter mentes Angelicas est?

21. *Singularitas hæc à peculiari conforma-*

tione

tione existit. estq; varia; sunt n. inter species, quæ cum aliis nihil commune habent, ut inter bestias Elephas & sus; qualia etiam inter Pisces atq; plantas invenire licet: est singularitas, ut sic dicam, individualis, quæ ultra sortem communis habitudinis progressa inusitatâ ratione se ostentat; quorsum prodigiosa illa ingenia & animarum illustrium heroici impetus referendi, & quicquid inter res consuetas rarum & extraordinarium est.

22. *Vnius Dei essentia inter omnia hac prærogativâ eminet, ut singularissima sit & communissima.* Neq; n. quicquam eam exprimere potest, quam tamen omnia aliquo vestigio referunt. Ipse totus harmonicus est, proportionum omnium, quæ in rebus occurrunt, exemplar: à se ipso n. est, proportionis regulas à nullo accipiens; quare sibi ipsi est proportio, ut jam ex naturæ necessitate proportionatè, hoc est, sapienter agat. Quæ causa est, ut omnia ejus opera perfectæ proportionis numeris absoluta sint, atq; una species ab alterâ ita discrepet, ut in diversitate emineat proportio. Quæ non tantum inter res materiales manifesta est: sed & inter materiales & immateriales deprehenditur: quando non sine occulto instinctu substantias immateriales earumq; actus vocabulis res materiales declarantibus nominemus.

nemus. Sic progreditur pedibus homo, progreditur & suo itinere intellectus. hinc Angeli flammæ ignis comparati. Deus luci. De qua admiranda proportione cogitare licet, scribere non licet.

CAP. VI.

De Vnitorum variis speciebus; in specie de Stabilimento & Stabilito, subjecto & Adjuncto; & de Fundamento, & de Potentiâ objectum respiciente.

SECT. I.

1. EX unitorum atq; unionis diversitate variæ species exsurgunt. Considerabimus primum ea, inter quæ talis necessitudo intercedit, ut quædam sint sustentantia, alia sustentata: deinde progrediemur ad societatem perfectiorem, ut res in unum collegium confluxerint contemplaturi: post societates videbimus causarum: atq; tandem de Actionibus & passionibus agemus, quarum species generales considerabimus.

2. *Stabilire est facere ut aliquid stet.* stabilimentum est res aliud stare faciens: stare est erectum esse, stabilitur statua ne cadat; stabili-

tur

tur domus, ne solvatur in partes: stabiliuntur vires ne diffluant. Nam stabilimento destituta, si opus habent, aut cadunt integra manentia aut dissolvuntur.

3. *Inter stabilimentum & stabilitum propertio requiritur.* Est n. stabilientis se Exhibere alteri, Excipere, Sustentare. Exhibere est se dare præsentem & offerre ad stabiliendum viren: Excipere est appropinquans capere ut sibi adsit: Sustentare est suis viribus tenere ut maneat. Ex parte stabiliti requiritur ut veniat in illius amplexum (alias n. non exciperetur) eo nitatur, innixumq; maneat.

4. *Subjectum* est res aliam sibi adjunctam sustentans: *Adjunctum* est res sustentata. Homo subjectum est eruditionis, lupus crudelitatis. Difficile est vocum significationes tam vagas in certos cancellos redigere. cathedra dicitur adjunctum Doctoris, & pedis calceus, & sepimentum horti: ubi adjuncta fulciunt subjecta.

5. *Sunt n. Adjuncta nonnulla habitudines substantiarum*, ut Virtus, humiditas, calor: *alia sunt res quædam per se ipsas subsistentes*, adjunctæ v. propter aliquem usum aliis. Illa subjectum vel perficiunt, ut virtus, scientia, pulchritudo; vel deturpant ut stultitia, intemperantia, claudicatio. *utrorumq; esse est in esse*;

quia

quia non sunt Res per se subsistentes, sed Rerum modi. Quæ subiectum perficiunt, propter illud sunt; defectus extra id esse nequeunt, ad ipsum tamen non pertinent. Res subsistens a. dicitur alterius adjunctum, quia ejus usibus destinatum est, ut dolium vini, calceus pedis.

6. *Est a. unum subiectum plurium Adiunctorum susceptivum tam perfectivorum, quam corruptivorum:* quo pereunte & ipsa pereunt. Ex receptivitate a. iudicandum quale cuiq; subiecto adiunctum aptum sit.

7. *Subiectum est vel totale vel partiale.* Illud est Totum & vocatur *Subiectum Quod*; hoc pars, & dicitur *Quo.* Fortitudinis subiectum Quod est homo totus: anima est subiectum Quo, quia in eâ fortitudo primo est. sic homo est divisibilis non respectu animæ rationalis, sed corporis: hoc ergo divisibilitatis subiectum ut Quo est.

8. *Fulcrum est res, alteri supposita eum à casu prohibens.* Eo est opus vel ut quid stet, vel moveat, vel a motu violento se retineat. duo posteriora in priori fundantur. Semper adhibetur fulcrum contra casum: unde quadem cognatione omnia retinacula huc pertinent.

9. *Non omne fulcrum est subiectum*; quia hoc interdum à suo adiuncto fulcitur, ut domus à trabe.

10.

10. *Fulcri officium est* Nutans erigere aut a nutatione prohibere: movens firmare. Quiescere seu suo loco consistere destinatum continere. Nutare est deorsum ad casum verti. hinc nutantem fidem promissum fulcit, labans regnum nova potentia, defatigatas vires alimenta.

11. *Fundamentum est pars prima rei, cui reliqua innituntur.* Debet esse *Primum*, *Proportionatum*, *Adæquatum* ei quod fundat. Nam id, cui quid innititur, prius est eo, quod innititur: cui inniti nequit, nisi suæ habitudini proportionatum atq; universæ suæ extensioni adæquatum sit. nam ut quod angulum ædificii tantum sustinet, non est universi ædificii fundamentum (non n. adæquata coextensione ei respondent) ita nec fundamentum tenet Grammaticæ, qui Syntaxin nondum attigit. Sic Theologi suos articulos fundamentales habent, & Regna fundamentales leges.

SECT. II.

De Proportione potentiarum ad sua objecta.

12. NOn occurit nunc locus convenientior ubi de hac agendum. Parte n. pri-

mâ id fieri non potuit, quia ad uberiorem ejus intelligentiam quædam præsupponenda erant: quare cum sit quoddam unionis genus, quo potentia suo objecto colligari intelligitur, habitudinem ejus hîc contemplabimur.

13. *Sunt a. in potentiis quatenus sua objecta respiciunt considerandæ Capacitas, Explendi desiderium, Satietas. Capacitas* est amplitudo receptivitatis. *Desiderium* est ille naturæ instinctus, quo fertur ad sui repletionem: *Satietas* est potentiæ repletæ ab ulteriori desiderio consistentia.

14. *Cum Potentia adæquato suo Objecto obiicitur, eius esse capax dicitur*; quia in eandem amplitudinem se extendunt, ut neutrum supra alterum emineat: sed lineis æqualibus terminentur. Nam ut Cantharus tantæ mensuræ capax est, quia intra se eam complecti potest, ut majorem superfluî humoris copiam respuat: ita omnis potentia certum habet & limitatum obiectum, quod eius extensioni ita adaptatur, ut plura non admittat. Deus n. ut infinitus est, sic capit omnia: creata v. suis terminis claudûntur atq; ultra extremam lineam nihil valent. Et hoc Sphœram Activitatis vulgò dicere solent.

15. *Ex ipsa a. capacitate surgit instinctus, quo res in suum obiectum inclinatur*. Nam cum finem

finem suum adsecuta sit, quando ei debite obvertitur atq; recte & ordine agit, fieri non potest, quin ad id inclinet; quando nihil ullius rei sit capax, nisi ei aptum sit.

16. *Quem appetitum si Famem dixero loquendi consuetudinem nihil, puto, torquebo:* per quam nihil intelligitur aliud, quam desiderium potentiæ, ut inanitas repleatur. Nam ut fames inanitatem infert, ejusq; sensum, & explendi desiderium: sic potentia ad id fertur objectum quo Deo destinante compleri debet; intellectus ad intelligibilia, visus ad visibilia, ad sonos auditus.

17. *Subitas est consistentia appetitus à desiderio novæ perceptionis.* Cum n. omnis, quæ objici possunt, inanitati ejus ingeruntur, jam undiq; æqualiter nixa suo æquilibrio stat. tantum n. adest, quantum ejus habitudo requirit; ergo non requirit plus; ergo satis est vel sufficit, & hoc est *Contentum* esse.

18. *Habet ergo unumquodvis suum Demensum,* hoc est, necessariam portionem quæ ei satiando requiritur. ut auditus percipiendis odoribus ineptus est: ita nec omnis auditiva potentia sonos quosvis percipit. Est extrema linea, ubi mihi consistendum, ultra quam tu forsan potes progredi. hanc qui novit suo le,

nî fallor, pede metiri sciet.

19. Hinc intelligitur *quid sit Parum, Nimium, Abundans*: *Parum* est justo minor portio inanitatem explere non apta. *Nimium* est justo plus. *Abundantia* inter portionis necessariæ mensuram & indebitam superfluitatem intermedia est. Nam abundare divini favoris jucunditate possumus, non habere nimium.

20. *Ut natura interno instinctu ad replendam inanitatem suam stimulatur: ita proprio sensu apud seipsam percipit, quando sibi satis sit.* Sistitur n. ruentis desiderii pondus atq; omnibus, quibus egebat, circumfusum repletumq; tenetur æquilibrio. Vnde ut ex se ipsâ desiderare incipit: ita desinit exaturata; & ut propter minus, quam sibi debetur demensum tristitiâ afficitur: sic fastidit superflua, à quibus æquè, ac ab illo destruitur.

21. *Insatiabilitas ergo natura morbus est*, cum desideriorum nec terminus statuitur nec modus. Insatiabilis n. qui est, nunquam quiescit, qui non quiescit, finem suum adsecutus non est. Statuit à natura suum cuiq; finem: ergo nihil fecit insatiabile.

22. *Incapacitas est alicujus capiendi impotentia.* Supereminet n. suâ amplitudine potentiam, ut impossibile sit eam ipsi adæquari, nisi ejus sphæra amplietur. Quare cum impossibile

sibile sit potentiam creatam in infinitum exporrigi, fieri non potest ut infiniti sit capax. sic n. limitatum fine limite foret.

23. *Hinc fit ut objectum potentiæ non satis attemperatum ipsâ percussione eam turbet, ut habitudinem eius percipere nequeat.* Nam ut anguſti oris vaſculum ſuperfuſi humoris copiâ non repletur: ſic nimius ſplendor excæcat, robuſtiſſimi odores obtundunt, aſperrimi ſoni ſurditate feriunt: & rerum divinarum ſublimitatem cogitantes in ſtuporem dati quodam æſtu ferimur. *Etiam ob nimiam ſui parvitatem objectum potentiæ non eſt proportionatum*; nam ut ſolem intueri non poſſumus: ita nec minutiſſima poſſumus videre corpuſcula.

CAP. VII.

De Collegiali Rerum Societate.

1. *Collegium eſt partium inter ſe certa vinculorum lege ad totius finem proportionaliter cohærentium ſocietas.* Debent eſſe partes plures, atq; variæ, & inter ſe ad communem finem ordinati aptæ. Vnum n. non facit collegium, neq; partes ſimilares. & quia in ſocietatem confluitur, ut per eam ſuum unumquodvis finem obtineat; neceſſe eſt, ut mutui

usus habilitate unum alteri accommodatum fit.

2. *Cause namq; Collegialis Societatis sunt* Insufficientia, inclinatio ad societatem, & societas apta cui se applicare aliud potest. Nam si quid omnia haberet, alii se non adjungeret. non habet autem: hinc societatis appetitus. Appetit a, ut habeat, quod non habet, hoc est, ut suum finem adsequatur: quare ei se adsociare vult, cujus ope illum potest assequi. Hinc oculus non vult esse in arbore, nec stomachus in Angelo, nec manus Elephantino capiti jungi.

3. *Partium Collegiarium considerandus est Ordo, Vires, Officium.* Ordo totius formam constituit; ut alia est forma Navis, Leonis, Hominis; alia est forma Monarchiæ, Aristocratiæ. Nam prout partes varia dispositione inter se collocantur, sic varias formas efficiunt. *Ex ordine vires æstimantur, ex viribus officium.* Nam cum nihil frustra sit, atq; suo munere, nisi suo loco constitutum, non rectè fungatur; sequitur utiq; à consideratione ordinis atq; status, tanquam à posteriori, ad agendi potentiam & officium argumentum rectè duci. nam quia tale est rei officium, hinc tales vires, ideoq; talis locus quo vires sese explicent.

4.

4. *Hinc singulas partes divina sapientia aptissimo ordine collocasse deprehenditur*; quam humana imitatur ratio, cum homines certis pactis atq; conditionibus in societatem coalescunt. Hæc n. ut rectè sese habeat tali singulorum collocatione constitui debet, ut unusquisq; rectè atq; ordine agere possit, atq; intentum finem consequi: quia ut in corporibus naturalibus præposterè locata monstroso habitu fœda sunt: sic indebitè se hominum habet societas, cum indecenter conjungitur. Conjunctionis a. formam certam recta ratio non præscribit: sed cujusq; ingenio aut aptitudini relinquit.

5. *Ordine rectè constituto unaquævis pars Hoc Agere debet*, non obtorpere otio, non alienis ingeri. dum n. unumquodvis id agit, cui destinatum est, saluti societatis consulit; quæ integritate suâ constat, quando singulæ partes suo officio funguntur. Non solus stomachus, neq; cor, neq; pulmo aut cerebrum vitam conservat animalis; non solus nauclerus publicam navigantium salutem tuetur, sed & qui vela dirigit, & puer sentinam exonerans.

6. *Est a. in quovis Collegio aliquod primum, à quo tota societas regitur*, nam Collegium Societas ordinata est; ubi a. est ordo, ibi est & primum, cui reliqua suâ serie annexa sunt.

sunt. Hoc ergo motûs principium est, quia cum quid movetur in motus societatem simul annexa rapit. Manifestum hoc est in artificialibus machinis, ubi partes ita inter se colligatæ sunt, ut una sine altera non moveatur: sed motâ primâ in motum reliquæ impellantur. Idem in corporibus naturalibus obtinet. Et ita fieri debere naturalis dictat ratio, quia defectus ordinis confusionem infert, ut nihil rectè fiat atq; ordine, dum singula propriis q. auspiciis se ferunt aguntq; ut fieri non possit, quin unum alterius operam interrumpat. atq; hinc in humanis Societatibus diversorum Præsidum atq; Rectorum varii ordines sunt.

7. *Cum ergo stante fortunâ totius, partium salus* (nisi proprio malo teneantur) *in tuto sit*, quâ labante & ipsa ruit periculo opportuna; ante omnia primi motoris salus cuiq; curæ esse debet, atq; præterea compartium quarumvis; quia non est perfecta totius felicitas, cum quædam adversis premuntur. Mutuæ n. utilitatis necessitudine partes singulæ à se invicem dependent; neq; viliorum ope perfectioris carere possunt. Quare, si totum recte se habet, necesse est ut omnia concorditer conspirent, quia ut conspirarent facta sunt.

8. *Est n. societatis Collegialis finis Commu-nio, & αὐτάρκεια, ex quibus desiderata illa Pro-*

sperita-

speritas exiſtit. Nam cum nihil ſe ſolo obtinere poſſit quod vult, ſociatâ opera rem aggreditur. Quando eis junctum rectè ſe habet, jam ſatis habet & deſideriorum finem facit; quod nihil eſt aliud quam proſpero ſtatu frui.

9. *Communio eſt ſtatus rerum inter ſe communem alicujus uſum percipientium.* Communitas indifferentiam dicit; communio ea reſpicit, quæ rem plurium uſui patentem ſibi applicant. Sic maſticatio cibi eſt actio ori propria, communi omnium membrorum bono peracta. Sic ambulatio, ſanguinificatio.

10. *Tria ſunt capita ad quæ communionis diverſitas reduci poſſe videtur.* Nam vel eſt res communis uſibus omnium applicabilis; vel eſt res in proprietatis ſtatu, permutabilis tamen, ut ex Meo Tuum fieri poſſit; vel eſt res in proprietatis ſtatu permanens alteri quoad uſum, interveniente unione, applicabilis.

11. *Priori modo, ſi res in ſtatu indiviſo, ut erant, permanſiſſent, eſſet rerum omnium inter omnes communio*; quæ factâ diviſione, ſuum quovis occupante, ceſſavit; repræſentabatur a. ejus aliqua imago in Lacedæmoniorum Rep. ubi alieno ſervo atq; cane uti; quin in ædes ingredi & neceſſaria auferre licebat: atq; hodie in communibus Piſcationibus, Lignationibus, Venationibus talis communio viget. & unius

Reip.

Reip. cives legum, atq; Privilegiorum communione fruuntur.

12. *Secundo modo communia sunt cum facta tibi rerum mearum copiâ Tua recipio.* Hæc est communio commerciorum in locum prioris, quæ juris purè naturalis est, succedens postquam ad divisionem Rerum ventum erat. *Divisio non omnem, quæ inter gentes humanas intercedere potest, communionem absorpsit:* sed statum indifferentiæ tantum sustulit. Cum a. omnia occupari à quovis vel parari non possent, alia inita via est, quâ æstimato rerum & actuum pretio mutuâ permutatione unum alterius fieret.

13. Hæc communio, pro varia agentium in aliqua societate habitudine, varia est. nam vel contrahendo fit, vel quocunq; modo paciscendo, vel sine mutuo pacto.

14. *Contractus est ultro citroq; obligatio.* Contrahunt qui inito consensu rerum (unus alterius) ad se dominium, sive possessionem, sive usum trahunt; dominium quis accipit emendo equum; possessionem conducendo domum vel fundum; usum sine dominio & possessione equum conducendo. Hæc permutatione fiunt, cum pro Meo accipio tuum.

15. Verum non Rerum tantum: sed & Actuum pretia in æstimium veniunt; unde quatuor

tuor contractuum genera numerantur; *Do ut Des, Facio ut Facias, Facio ut Des, Do ut Facias.*

16. *Deinde sunt & Pacta communionem inter plures inferentia, à natura contractuum diversa:* quò omnes quibuscunq; conditionibus conventiones pertinent, sive inter æquales sive inæquales, quacunq; causâ initæ. Sic inter fœderatos communio est cum unum & commune periculum, una salus ambobus erit: sic in omni amicitiarum genere: sic inter Deum & hominem fœderis communio est, cum homini pro præstitis fœderis conditionibus promissa bona tribuit, non operis in se dignitatem spectando (quod est contractus Do ut facias) sed ex gratiâ donationis; sicut pater filii industriam, aliâs debitam, ampla liberalitate honorat.

17. *Tertiò recipiuntur aliena bona* non permutando: aut [illegible]cipiendo: sed cum *alius alium* non requisito ipsius consensu suorum ei bonorum copiam facit; vel cum eo consentiente quidem facit, nullam tamen ab eo conditionem exigit. Huc omnes donationes pertinent ex liberalitate mera provenientes, ut cum Deus se creaturis communicavit, cum mendico datur eleemosyna, cum ægro auxilium fertur,

18.

18. *Tertium Communionis genus est inter partes aliquod totum naturale constituentes.* Vnaquævis n. sui usum alteri impertit: non propriam cum eâ activitatem permutando (nam hoc impossibile esse supra diximvs) sed quia pro suæ naturæ habitudine agendo alterius actum juvat promovetq;. Hinc cum totum nihil aliud sit, quam illæ ipsæ constituentes partes, quod una pars propriâ facultate facit, propter communionem fecisse totum dicitur, ut homo intelligit, ambulat: licet solus intellectus intelligat, pedes ambulent: sic ferrum ignitum urit & secat, ut urens sectio & secans ustio dici possit.

19. Ex hisce declarari potest *An propria sint communicabilia.* Nam si propria sunt, communia non erunt, quia communitas proprietatis statum tollit. cæterum cogitandum est quod propria sint atq; maneant quoad possessionem & effluxum radicalem, quoad usum fiant communia: ut cum aqua salis salsedine salit, salsedo non fit essentialis aquæ proprietas: sed fit ejus, ut sic dicam, per commodationem; quia ut aqua salsedine imbuat, non à se habet, sed ab adjuncto sale. Quare non magis ex se salit, atq; nasus aut auris ambulat, licet totus homo ambulare dicatur. *Non igitur, si propriè loqui velis, proprium communicabile est:*

sed

sed proprii tantùm actus in commune totius bonum redundans. Quod n. communicatur, recipitur. non a. recipitur ipsa proprii realitas: sed ejus tantum actus: quia si ipsam proprii realitatem recipi cogitas, velis nolis, necesse est, ut concedas eam transfundi in alterum.

20. *Impossibile n. est ut cogites aliquid recipi à dante, & tamen in dante rem illam ipsam datam secundum substantiam suam, ut ante dationem erat, consistere: atq; post receptionem à re datâ recipiens non affici.* Nam quod dat, illud ipsum quod dat, non habet amplius, quia alias non dedisset. dare n. est rem applicare alteri. Quod a. alteri applicuisti, non ita tibi est, vt erat antea. atq; hinc Deus de suo nihil formaliter dat: sed à suâ substantiâ substantiam distinctam producit; vnde infinita producendo suâ substantiâ nihil minuitur; quod revera fieret si propriæ substantiæ, quam ipse formaliter habet, particulam alteri tribueret. Homo a. generans partem communicat substantiæ, vnde minuitur, & id quod dat non habet amplius: quare si aliquid sui proprietatem alteri formaliter dat, sequitur quod eam non retineat: quia dando formam à se abiungit.

21. *Quod si dicas recipiens à re datâ utiq; affici, queritur quomodo afficiatur?* an sicut aer à tenuitate, à fluiditate aqua; num v. quia affi-

cienti

cienti vnitum est? Nam aquam afficit humiditas, quia talis eius substantia est; terram a. afficit, quia hæc aquæ humidæ coniuncta est. Si illud dicas, iam transfusionem concedere necesse habes ipsiusq; recipientis transmutationem. Nam si humiditas terram afficit, vt aquam, necesse est vt sit aqua: quia per humiditatem talem aquæ habitudinem concipimus, quâ ipsa minimis sui partibus fluida & cohæsiva est. Si concedis affici, quia ei vnitum est, habeo quod volo; nimirum nullum proprium formaliter esse communicabile: sed tantum proprii actum; quia non proprii forma afficit; sed fusus abeo actus. Nimirum quicquid afficitur à coniuncto, abeomovetur: ergo si rem coniunctam tua aliqua proprietate afficit, motu afficit. Hoc v. non est ipsam proprii formam dare (quod sine dentis amissione fieri non potest) sed imprimere motum, quo proprii habitudo indicatur. *Et per hoscce proprium qualitatum motus fit vt partes inter se communionem colere dicantur*, cum aqua soliditate terræ temperatur, & terra fluore aquæ imbuitur: cum aquæ salsedinis motus imprimitur, & salis ficcitas ab aquæ humiditate solvitur. Quæ causa est, quod ferro ignito calor communicabilis sit non levitas; quia caloris actus se cum secante ferro conjungere potest,

non

non actus levitatis; cum illud secum in sublime rapere nequeat. *Et quid sit quod ἀνυπόστατοι proprietates communicabiles dicuntur, non ὑποστατοι*, nisi quia illæ suum alteri actum imprimunt, non hæc nam anima corpori vitam communicat, non tenuitatem, & invisibilitatem: quare vita, quâ viget corpus, non est ille substantialis animæ vigor sive ipsa activitas atq; actus, vt loquuntur, primus: sed est motus ab illo vigore proveniens & corpus movens. *Quare proprium formaliter esse incommunicabile, & communicabile effitienter patet.*

22. *Pro sua ergo habitudine unumquodvis communicabile est atq; agendo plurimum usibus inservit*; communionem a. collegialem cum illis colit quibus certis legibus associatum est. Quare vt totum ex partibus componitur, quæ inter se collegiali ordine junctæ illum finem præstant, cujus gratiâ totum constitutum est; sic plura tota novum constituunt collegium, vt ex omnibus rerum tam diversarum classibus hoc universum conflatum fuerit; sicut ex multis cohortibus legio & ex legionibus exercitus constituitur.

CAP.

CAP. VIII.

De Cauſis.

SECT. I.

Quid Cauſa, & Quotuplex.

1. *Cauſa eſt à quâ aliquid fit.* Hunc n. conceptum formamus cum cauſam dicimus, ut Deus eſt cauſa mundi, homo ſceleris vel ædificii: requiriturq; ad agendum vis, & virium actuale exercitium. nam cauſa non dicitur, niſi actualiter ſe exerat.

2. *Cauſæ n. formalitas eſt* operatio ſive actus ſecundus à potentia (quæ actus primus vocatur) promanans; quam & influxum, ac Barbare Cauſalitatem vocant. *Influere* a. *eſt* à ſe derivate vim, quâ aliquid exiſtat.

3. *Pro influxus ergo diverſitate diverſa cauſarum genera exiſtunt:* quia tot ſunt rerum ſpecies, quot ſunt formæ conſtituentes. Nam forma ut conſtituit, ita diſtinguit, & diſtinguendo eſſe plura genera indicat. Quatuor a. influxuum genera ſunt ad quæ omnes actus referri poſſunt; tot ergo genera cauſarum ſunt.

4. Nam aut movet aliquid atq; ſtimulat appetitum ad agendum: aut materiam aliquam

in

in certam figuram effigiando ei agendi vires indit. Quod ſtimulat, finis dicitur: quod à fine ſtimulatum aliud producit, efficiens; productum a. è duobus conſtat, ex Materia ex qua effigiatum eſt, & ex forma quæ illud corpus ex materia factum effigiat. Quare omnis actus vel à Fine, vel ab efficiente, vel à materia, vel à Forma procedit.

5. Nos facilioris, ut puto, doctrinæ cauſâ quatuor hæc genera (ſunt n. revera quatuor) ad tria capita reducemus & in cauſas *Inſtigantes, Dirigentes, Producentes tribuemus.*

6. *Inſtigans eſt* quæ ad aliquid agendum vel non agendum inclinat, ut ira ad Vindictam, Torpor ad neglectum officii: *Dirigens eſt*, quæ alterius motum regit, ut Auriga equos, Idea præſcripta pictorem. *Producens* quæ effectum ad quem inſtigatur & dirigitur producit, ut equus currum trahens, pictor pingens imaginem. Inſtigans ad velle: Dirigens ad ſcire: Producens ad Poſſe pertinet.

SECT. II.

De Causis Instigantibus: & in Specie de Fine.

7. *Instigans est, quod velle alicujus ad agendum vel non agendum inclinat.* Instigare est voluntatem movere; unde stimulos subdere Latini dicunt; quia stimulus est instrumentum excitans reiq; alicujus sensum imprimens; quæ excitatio, cum proportionata est amorem movet; cum disproportionata, odium.

8. *Instigans est vel externum quippiam, vel internum.* Qui canem, ut alium mordeat, proritat, extrinsecus instigat; ira eum instigat intrinsecus; miseria aliena ad ferendam opem instigat extrinsecus, animi benignitas intrinsecus. extrinsecus movent Occasio, Admonitio, Objurgatio; intrinsecus quicunq; affectus, Amor, Spes, Odium.

9. *Finis est id propter quod res est.* Finis architecti est domus extructio, studiosi eruditio, belli victoria. supponiturq; aliquid Agendum, Agendi extremitas, sive talis ejus status in quo actio agentis finitur & se sistit, & ad agendum stimulatio. Finis Alexandri erat gloria bello parienda: agendum erat bellum, in quo

quo ipse suorum votorum extremum quærebat; undenon difficile erat eum ad id suscipiendum inflammari. Finis dicitur & *Scopus, Meta, Terminus*; quia in ipsius consecutione desiderium expletur, & terminatur. ex quo ejus à quocunq; alio incitamento differentia manifesta est.

10. *In fine considerandæ sunt* Proportio ejus ad agens: proportio mediorum ad finem: & modus agendi. Suum quodvis finem habet, cui appositum est: qui nec quibusvis mediis comparatur: neq; quavis mediorum applicatione, licet debitorum.

11. Nimirum *Finis est* illud bonum cujus gratiâ agitur: *Medium est* id per quod bonum illud comparatur; Agendi modus est dextra & conveniens Medii applicatio. Finis Media præscribit & subordinat: Media sunt propter finem, ei inserviunt atq; procurant; unde finis appetitur propter se, Media propter finem, legem ab eo & mensuram accipientia. *Hinc in omni actione considerandum Quid* (Agendum) *Propter Quid* (Finis) *Per Quid* (Media) *Quomodo*, hoc est, debita actus dexteritas.

12. *Finis ergo Causalitas est motio stimulans*, quando res, in cujus consecutione finis consistit, suâ habitudine Agenti ita accommodata proportionataq; est, ut ejus sensu percus-

sum innati instinctus pondere ad ipsam ferantur, habere eam, atq; frui desiderans; sive revera bonum illud sit, quod movet, sive apparenti tantum specie. Ex quo patet finis causalitatem non esse agentis intentionem, qua finis amatur; nam & hic ipse amor à proportionato motu finis nascitur.

13. *Finis vel est ultimus, vel subordinatus.* Ille est illud bonum in quo per se & adæquatè acquiescit appetitus: hic habet ordinem ad ultimum in ordine & ratione proportionali ad eum procurandus. ultimus finis Collegii est totius societatis salus, & in eâ partis cujusq; sufficientia; subordinatus est optima singularum partium constitutio & habitudo: quia ut pars subordinata est toti, sic & finis partis, fini totius. Non ergo licet in magna inopiâ annonam detinere, ut pretium crescat: non tempus impendere studiis quod utilitati publicæ tribuendum.

14. *Finis est vel absolute ultimus, vel ultimus in certo ordine.* Ille est centrum omnium actionum, primum tenens locum & ultimum, in quo omnes actiones consistunt & figuntur sine ulteriori progressu: Hic est illi subordinatus, & in suo ordine ultimum bonum, secundum se a, ordinabilis ad aliud. Tractat quis studia, ut doctus evadat; doctus esse vult, ut humano

mano generi, cujus pars est, sit utilis; utilis esse vult, ut rectè atq; ordine agendo Deo sese approbet & agnoscendo se ab ipso in solidum dependere illius Majestatis gloriam celebret. hic sistitur. Hinc quid *finis sit Principalis & minus principalis* intelligitur.

15. *Finis est objectivus, vel Formalis.* objectivus est illa res quæ proportionatâ sua habitudine appetitum movet: Formalis est ipse agentis actus, quo circa objectum illud versatur. ut supremus hominis finis est Deus & perpetua vitæ beatæ jucunditas. ille est objectivus; hæc formalis. est n. actualis Dei fruitio &, ut sic dicam, possessio.

16. Nimirum *Finis objectivus debet esse Proportionatus, Adæquatus, omnium q; actionum motor & director*; sive ultimus sit absolutè sive in suo ordine: *in Formali consideranda est debita agentis ad finis objectivi præscriptum conformatio, satisfactio desiderii, Beatitudo.* Quod proportionatum non est, non appetitur: & inadæquatum appetitus desiderium non satiat.

17. *Quamvis v. omnis res agat propter finem, ejus tamen ratio maxime in Agente rationali perspicitur*; quia reliqua aguntur potius, quam agunt. Quare ut ei soli rerum accommodatum fruitio competit: ita etiam *Beatitu-*

do, quæ in fine formali consistit, atq; *nihil est aliud quam Entis ratione præditi recte atq; ordine agentis status*. Beatus n. est homo, cum finem suum adsequitur, adsequitur a. cum agit ut agere debet; quia ad hoc destinatus est.

18. *Est a. in agente rationali considerandæ intentio finis, Mediorum electio, & ipsius Actionis habitudo. Intentio* est propositum voluntatis aliquid agendi: *Electio* est libera unius medii præ alio acceptatio: *Actio* est agentis motus in objectum ex intentione *hoc agendi* profluens.

9. *In Intentione spectatur* Res agenda, ejus cognitio, cognitæq; efficax desiderium sive propositum ejus acquirendæ. Vt n. ignoti nulla cupido datur: ita neq; intenditur, quod nudâ tantum complacentiâ oblectat. *Est n. intendere tendere seu ferri cogitatione & conatu ad aliquid habendum*. Qui eruditionis pulchritudine captus è longinquo ejus præstantiam admiratur, non vero se in amplexum offert & oscula libat, is eam non intendit: sed simplici tantum voto, quod velleitatem vocant, optat. Hinc præter intentionem fiunt, quæ quis non prævidet nec vult, ut ille qui Phæreo Iasoni damnum allaturus gladio vomicam aperiendo sanavit, quem Medici sanare non potuerant; vel cum faber lignarius de domo trabe de-

dejectâ prætereuntem vulnerat.

20. *Tripliciter a. aliquid ex intentione agitur: Actualiter, Virtualiter, Interpretative. Actualiter* cum quis de re ipsâ actu cogitat, ut si subjiciens ignem dicat: has ego ædes in incendium mittam. *Virtualiter* cum actio externa vi actualis intentionis semel susceptæ continuatur. Nam qui rem aggressus est, non singulis momentis cogitat, quid agat & quare; & tamen ex intentione susceptum opus datâ operâ conficit. ut in Hollandiam furandi animo qui proficiscitur, non semper cogitat, Ego furabor, & tamen singulos passus hac intentione facit. *Interpretativè* cum quis ex certâ intentione agit aliquid, cui adhæret aliud necessarium ex eo fluens, vel per conditionem accessorium, quod non prævidit quidem, prævidisse a. potuit vel debuit; aut si prævidisset, sic feciisset, quemadmodum nos ipsius mentem prudenter interpretamur. ut si pater improbum filium in ædibus contineri jnberet ne in publico aliis damnum daret, mandati verba deferenda sunt, cum ædes incendio corripiuntur; quia eo casu illum educi velle prudenter arbitramur.

21. *In bestias propriè non cadit intentio*; quia finis atq; mediorum habitudinem cogitatione clarâ & distinctâ inter se non conse-

runt;

runt; latiori tamen significato eis tribui consuevit: quando revera viis variis tentare rem deprehendantur, &, cum laborem vanum cadere animadvertunt, omisso propositio abire.

22. *Electio intentionem sequitur* in eo ab hâc distincta, quod intentio cogitatione Finem complectendo se efficaciter ad ejus consecutionem per Media moveat; Electio circa sola versetur Media fini consequendo adhibenda.

23. *Non est Electio nisi inter plura*, quorum quædam assumi, alia respui possunt. Si tantum unicum medium suppetit, liberè quidem illud ad finem accommodari potest, quia ille finis liberè intenditur; non tamen propriè electio est: sed unius medii adsumptio. *Liberum* tibi est mare transire, sed si transire constitutum est, hoc solum medium accipiendum, Navigatio; quando volare non possis.

24. Dixi electionem esse unius præ alio acceptationem; quia *qui oblata acceptat omnia, non eligit*: sed sine discrimine voluntate universali unumquodvis assumit seu arripit; quod electioni tam repugnat, quam versari circa unum. electionem n. cum cogitamus, separationem cogitamus.

25. Hinc intelligitur *quid sit Temeritas* nimirum debitæ in agendo Attentionis omissio.

At,

Attendere est tendere animi oculos in rem, ut quid sit cognoscatur. unde cautè agere dicitur qui in agendo ad omnia se vertit, nihil intactum relinquens, ex quo improvisi quid emergere possit. Nam ut quid certa intentione fiat Attentio requiritur, ut agendi prudentia actum gubernet. Prudentia est rerum rectè applicandarum notitia, sive scientia rectè agendi; quâ destitutus temere, incautè, oscitanter incircumspectè dicitur agere. quo ipso necesse est ut multa ei præter intentionem atq; animi sententiam obtingant.

26. *Optimum medium efficacissimè quidem movet, non necessitatem tamen infert amplectendi.* Nam qui contendunt ex duobus mediis omnino æqualibus posse nullum eligi, neq; præ præstantiori adsumi posse deterius, contra experientiam loquuntur.

27. *Qui intendit finem, Media habere vult,* non hoc aut illud ut sic dicam distributivè, quasi aliud velle non posset, sed in genere aliqua: non a. vult media, qui ignavo tantum voto optat: qui verò agere nihil intendit, nihil ad agendum eligit.

28. In Actione (de qua supra §. 18.) est considerandа habitudo ejus ad finem, ad intentionem agentis, ad agendi normam; quæ infra persequemur.

29.

29. Ne vocabuli ambiguitas decipiat obſervandum, *non omne quod propter aliud vulgò eſſe dicitur, ejus propriè tanquam finis conſequendi medium eſſe atq; ipſo inferius.* Nam quæ utilitatem alteri adferunt, quamvis eo longè præſtantiora, ſæpe propter illud eſſe dicuntur, ut Rex propter ſubditos, propter diſcipulos Præceptor, Paſtor propter oves. Ita & Angeli propter homines eſſe dicuntur: quare *in Fine extremitatis conditio requiritur, ut reliqua ita propter eum ſint, ut ſua dignitate & præſtantiâ ipſâ ſibi ſubordinet.*

30. Vt ex rerum adſpectu colligimus aliquod Numen eſſe: ita ex conſideratione Numinis omnia certo fine condita eſſe perſpicimus.

31. *Eſt a. id cujuſq; finis, quod Poteſt, Scit, Vult facere.* Nam quo res à Creatore dirigitur, eo inclinat: quo inclinat, id ejus finis eſt. Inclinat a. quo poteſt; hoc ergo ejus eſt finis. Vt ergo raſtri finis non eſt comedendi uſui inſervire: ita nec ſalis finis eſt humectare, nec aëris ſalire: nam rei cujuſq; proprium opus & utilitas ejus finis eſt.

32. Cum a. nos Rerum habitudines perfectè non poſſimus exhaurire, hinc neq; ſcire poſſumus quibus præcipuè uſibus unumquodq; accommodatum ſit. Quid nobis res utilitatis

præ-

præstent, ipso sensu cognoscimus, quid ultra præstare possint, ignoramus. *Ex unoquoque alterius usu, quem esse primarium incertum est, de rei naturalis fine pronuntiare velle, æque præcipitis est res judicii, ac si quis putaret, gladium viatoribus instrumentum, cui inter eundum inniterentur, repertum esse; aut pennam scriptoriam scalpendis dentibus paratam.*

33. Recta quippe ratio dictat finem rei esse præcipuum illum usum, sive singulare illud opus, quod præ reliquis præstat: quia ad id destinata esse ex divinæ sapientiæ cogitatione colligitur: reliqua cum aliis communia habet.

34. Ergo qui res fabricavit, cui fini eas addixerit, solus perfectè novit: nos eas ex nostro usu metimur, sicut utilissimis libris ad involvendas merces mercatores utuntur.

35. *Cum a. res omnes ad suos fines naturali instinctu ferantur, quos collo irretorto semper respiciant, sequitur utiq; teterrimam homines corruptionem invasisse, qui de suo fine non disputant tantum: sed & in tot sententiarum divortia distrahuntur.* Rectæ quippe instinctus rationis dictat, rei rationali, ut rationaliter agat, suum finem clarissimè cognitum esse deberet: quia non est actus rationalis nisi recta intentione susceptus. Nos a. ad rationaliter agendum

gendum destinatos esse, sicut pyrum ad pyra ferenda, nostra nos conscientia convincit. Quare contra rectæ naturæ inclinationem, h.e. contra naturam agunt, qui irrationaliter & turpiter agunt; ac si ignis frigefaceret.

36. Quia plurimarum rerum usus in ipso, ut loquuntur, abusu consistit, non est cogitandum, quod dum se aliis impertiunt, propriam corruptionem intendant. est hoc naturæ communis consilium, quæ perpetua vicissitudine unum transformat in alterum, & collapsa exaliorum ruinis reparat. Vt ergo militis finis est fortiter pro patriâ pugnare, non ut ipse intereat: sic unumquodvis suo officio fungi vult, etiam cum propria corruptione, quia finis ipsorum est se aliis præbendo finem habere.

37. *Dantur præter finem ultimum plures intermedii*, vt naturam instrumentorum intuenti patet, atq; in se ipso quisq; animadvertit. Qui vt ad illum ordinandi sunt: ita secundum se revera rationem finis in suo ordine habent; quando omnes ejus conditiones in eos competant.

38. Sed circa hosce versari nemo recte atq; ordine potest, nisi in vltimum perpetuò defixos oculos habeat. Nam hi intermedii fines in ordine ad ipsum Mediorum vicem subeunt; hæc a. an rectè se habeant ex fine petendum.

Non

Non ergo virtus post nummos quærenda; quia an recte nummi quærantur, ignoratur, ni virtus doceat. Non ergo tollit finis vltimus secundarium: sed hic in illo fundatur. Vt Deo nos totos tradamus nostri officij ratio exigit, & licet simul spe promissi præmii lassatum animum erigere.

39. *Creata omnia propter aliud sunt, quia creata sunt, solus Deus est propter semetipsum.* Nam quod creatum est, alicujus finis gratiâ creatum est: ergo ad illum ordinatur, ergo extra est; quia nihil ordinatur ad se ipsum. Quare homo in se tanquam in vltimum centrum suos actus resolvens Dei locum invadit, voqui solus sui causâ facit, quicquid facit; quia à nullo ad aliquid faciendum destinatus est, cujus destinatio ipsius rectè atq; debitè agendi officium circumscribat.

40. Quia finis Mediorum ope acquiritur, hinc *primum in Intentione in executione vltimum est*. Nam quod intenditur per media demũ ad ipsum ducentia comparatur. Vis esse doctus? libros cõpara, prius ergo libros habes, quã doctrinam. Et fieri potest, vt Mediorum apparatu sis instructus nec voti tamen fias compos.

41. *Quod finem nullum habet frustra est.* Frustra agit qui absq; proposito fine vel absq; vlla fixâ intentione agit. Dicitur & Vanus.

42.

42. Ex dictis intelligitur quid sit *Finis Externus & Internus*. Hic est effectus alicujus operationis: ille est id, ad quod operatio ordinatur. Sutoris finis internus est calceus, externus, pedis munimentum; Medici finis internus est datâ potione purgare alvum; externus sanitas. Idem vult distinctio inter finem ℈ & finem ℘ sive cujus & cui. *Finis Cujus* est effectus per actionem productus; *Finis cui* est illud ad quod Finis cuius refertur. Finis Cujus est fabricare cultrum, Finis cui est cultri vsus. Huc pertinet distinctio inter Finem Operis & Operantis.

CAP. IX.

De Causis Dirigentibus.

1. *Dirigens est quod movet aliud, ut recte agat.* Est n. regere movere aliquid, non simplicitur: sed vt rectè agat. Sic Magistratus regit cives, auriga equos, scriba pennam

2. *Diversum est regens ab eo quod regitur*; quia nihil secundum eandem rationem & partem & regere seipsum & regendo regi potest. Regit a. Regens regula, sicut videtur potentia visivâ.

3. *Regendum ergo regentis viribus* | *proportionatum*

tionatum esse debet, & directionis receptivum. Nam ut puer virium defectu ferocem equum domare nequit: ita musca mansuefieri nequit, quia se ad regulæ præscriptum accommodare nequit.

4. Ceterum *per Regens aut intelligitur Persona, vel Regula ipsa, vel instrumentum quodcunq;*

5. *Persona est qua scit, potest, vult regulam applicare alii*: fitq; vel Imperando, vel Docendo, vel quocunq; modo excitando & ad opus applicando. Nam ut pietate gravis vir dictis regit animos: sic Musica regit saltantes.

6. *Regula est quæ modum rei agendæ præscribit.* Ostendit n. eum tanquam in tabella repræsentatum, cui Regentis Regimen conforme esse debet, ut rectum sit. Nam ipsa est lapis lydius ad quem actuum habitudines exigendæ. Dicitur & Idea, & Exemplar, & Lex quia certam formulam præscribit, cui actio conformanda. hinc legitimum. *Canon, Amussis, Norma* idem declarant; primario materialia instrumenta sunt, ad quæ corporum rectitudo aut lævitas exigitur.

7. *Regulæ ergo officium* est actui formam præscribere; cujus *prima conditio est ut recta sit*, hoc est, veram viam, rationem, atq; modum agendi monstret. Nam ut non rectam viam insistit

ſiſtit qui extra tramitem per ambages circumducitur: ita non rectè agit qui non debitâ habitudine legitimis mediis ſe rei agendæ obvertit.

8. *Regula ἀρχέτυπος & eſſentialis Rectitudo divina ſapientia eſt*: de quâ ſi quæras cur ipſi aliquid rectum tali modo ſit; eſt quærere cur ipſa divina ſapientia ſit.

9. *Ab hac procedit quicquid Regulæ ſimilitudinem habet*; quia ipſa omnium proportionum atq; diſproportionum fons & principium eſt. Beſtiæ inſtinctu naturæ reguntur, hoc eſt, propriâ ſuâ habitudine prout à cauſis externis provocatæ in diverſos motus impelluntur: hominem divina regit imago quâ ſe eſſentali illi rectitudini conformare aptus eſt. Nihil n. creator regulæ omnis expers condidit, quia certam cuiq; tribuit ſcientiam quâ ſua opera peragat.

10. *Regula ergo alia eſt prima, alia orta*; illa eſt independens ſua eſſentiali ſtans rectitudine; à qua proinde appellare non licet & judicium alii permittere: hæc dependet & rectitudinem abeâ mutuatur, ideoq; ad ipſam exigenda; ſicut ab exemplaribus deſcriptis ad autographum provocatur. *Nos bonam legem à malâ, nullâ aliâ niſi naturali normâ dividere poſſumus*, inquit Cicero.

11.

12. *Deinde Regula debet esse certa & constans*; quia incertis variationibus expositum tenorem constantis actionum cursus modera. re nequit. Nimirum regula consistit in indivisibili quod ad conformationis similitudinem attinet (& eatenus semper eadem est) quamvis ratione perfectionis gradus admittat. Omnes ad regulam temperantes esse debent, licet unus alio sit temperantior; sicut duo Magistri literas pingendo imitantur, quorum uterq; rectè pingit, si rectam figuram exprimit, licet alter pingat elegantiùs; quum a. x pro u scribitur à regulâ plane discreditur. Hinc rectæ rationis dictamine, ne aliqua varietas esse videatur, regulæ in exquisitissimâ perfectione proponuntur, quas agentes sequendo imitentur; ut unusquisq; suas circa eam vires experiatur tentando, quousq; liceat progredi: ubi non quid fieri possit, sed quid debeat præscribitur. Sic Rhetores suum oratorem, Philosophi Virum Prudentem, Theologi Christianum describunt.

13. *Agentis a. imbecillitate & difficultate vitanda fit, ut leviores aberrationes pro nullis habeantur*. Dat nimirum genus humanum illam veniam, recipitq; vicissim, cum industriæ oculos aliquid effugit & aliqua adspergine opus fœdatur: quando nemo sit qui sine titubatione

tione rectè ubiq; vestigia firmet. Hinc Regula sepè Lesbia sive plumbea adhibetur, quæ ad regulandæ rei habitudinem inflectatur.

13. *Tertio debet esse nota*: nam quomodo ei tuos actus conformaveris, nisi forma ejus expressâ clarâq; imagine tuis oculis obversetur?

14. *Quarto applicabilis*, hoc est, regulando proportionata. ut aquam non ulnâ, sed cantharo metimur: sic pennam non verbis, ut hominem, sed manu regimus.

15. *Regularum tamen alitas non est eadem.* quædam motu Physico impellunt: aliæ tantum objectivè movent, ut Ideæ & exemplaria agendorum.

16. Est est Instrumentorum quoddam genus, cui regimen tribuitur, ut clavus, habena, sceptrum, fascis.

17. *Regentis effectus in Regendo est obsequium* quod est accommodatio regendi ad regiminis motum. Hinc *Refractarius Spiritus* est rigidus & inflexilis suo ductu regi volens: & *Rebellio* est rei subjectæ adversus Rectorem insurrectio ad regiminis jugum excutiendum.

CAP.

CAP. X.

De Causis Producentibus.

1. *Causa producens est, quæ facit, ut sit aliquod effectum.* Producere est ducere aliquid in conspectum ut appareat; ut cum solis calor rosam profert. *Nihil se ipso exit in existentiam:* sed influxu actuali ab alio est producendum: nam si se ipsum produceret, esset simul & non esset: esset, quia ageret: non esset, quia si esset jam productum non amplius esset producibile.

2. Dicitur alio nomine *Origo, Fons, Radix,* quæ voces causandi primitatem declarant, vnde quid provenit. *Principium est,* unde res est, patetq; latius, quam conceptus causæ. Nam hæc influxum productionis importat, illud quamcunq; originem notat: ut principium diei est aurora. Effectus a. à causâ *Fluere, Promanare, Oriri, Proficisci, Nasci, Derivari, Deduci, Provenire dicitur.*

3. *Sunt a. tria causarum Producentium genera, Efficiens, Materia, Forma. Efficiens* est à quâ Res est: *Materia* ex quâ: *Forma* per Quam. *Efficiens* extrinsecus circa rem operatur: *Materia & Forma* ipsam intrinsecus

constituunt ut partes. Architectus est extrinseca, Lignum & Lapides intrinseca.

4. *Est 4. hic considerandа Producentis communicatio & Participatio producti:* Ex quibus dependentiæ ille respectus emergit, quo causatum à causâ dependet.

5. *Communicare est dare suum ut sit alterius.* ubi duo ponuntur, quorum unum dat, alterum accipit. Hinc respectus Meitatis & Tuitatis exsurgit prout communicatur; nam quatenus communicatur, eatenus habeo, & eatenus est Meum. quod non eodem sensu de omnibus dicitur. Habeo n. vel ut Dominus, vel ut usuarius, vel ut custos.

6. *In Communicante requiritur Habere, Offerre, Impertire.* Quod non habes, offerre alteri non potes, nec communicas solâ, sine actuali applicatione, oblatione. *Habetur 4. aliquid vel Formaliter, Virtualiter, Eminenter.* Formaliter cum res habita secundum propriam formam denominat, ut vinum est sapidum, paries est albus. *Virtualiter* cum non ipsa forma subjectum tale denominat, in eo tamen formaliter est virtus, quâ in actum produci potest. Sic vinum formaliter frigidum, virtualiter calidum est. *Eminenter* cum quid non secundum illam formam: sed ratione perfectiori inest. Sic Deus se corporibus communicat

nicat, qui ipse tamen corpus non est: sed ejus perfectionem modo sublimiori habet. Quicquid aliquid per tres hosce modos non habet, dare alteri nequit. Hinc *Communicatio in Æquivocam dispescitur & univocam:* hæc est cum eadem essentia communicatur, ut cum homo generat hominem: illa cum essentia diversa; cum sol ranam. & hoc sensu Deus tantum causa æquivoca est.

7. *Communicatio vel est extrinseca, vel intrinseca.* Illa est causæ efficientis & effectivæ dici potest: hæc est Materiæ & Formæ. Dicitur interdum Formalis, quia forma denominat.

8. *Participatio est acceptio alicujus ab altero.* Hinc Entia per participationem, quæ non à se habent, quod possident: quâ ratione omnia (creata participantia sunt, solus Deus, quæ habet, à seipso habet. Hinc *talis est effectus, qualis est causa,* in illis nimirum quæ causa dat & effectus participat. Non n. filius est Doctus, quia pater talis est: neq; cerevisia sicca, quia siccum est hordeum & lupulus.

9. Sunt a. varia causarum producentium genera, *Universalis, Particularis: Prima, Secunda: Solitaria, Socia: Principalis, Instrumentalis: Per se, per Accidens. Necessaria, Spontanea, Libera: Naturalis, Præternaturalis, Supernaturalis.* 10.

10. *Universalis est quæ ad omnium productionem concurrit*, vel absolutè ut Deus; vel in suo ordine, ut sol, Rex in Regno, Paterfamilias in familiâ. *Particularis* quæ ad certum effectum est destinata, ut homo generans hominem.

11. *Solitaria* est quæ sola facit: *Socia* quæ habet socium. illa est Deus sine cujusquam ope mundum condens; hæc est equus cum alio currum trahens. Huc *Adæquata & Inadæquata* pertinet. *Est a. inter socias Coordinatio, non subordinatio.* Nam faber & malleus non dicuntur Socii. Interim inter eas præeminentiæ locus est; hinc aliæ Primariæ dicuntur, aliæ secundariæ & adjuvantes.

12. *Principalis est* quæ primò ad effectum producendum movet, & alia applicat: *Instrumentalis* quæ à superiori ad agendum applicatur. In principali ponitur virtus & facultas per se ad effectum movere se valens, alia applicans, applicata regens: in Instrumento defectus adæquatæ ad producendum facultatis, ad principalem subordinatio, ejusq; in agendo ab eo dependentia.

13. *Principalis vel sola Auctoritate, Jussu, Consilio agit, vel ipsa ad opus manus admovet.* Illo modo Rex Hispaniæ in India bellum gerit; hoc modo homo securi ligna findit.

14

14. *Est a. diligenter subordinationis dependentiæq; ratio observanda: quia non omnis applicatio passiva instrumentum facit.* Ignis, ut lignum comburat, admovendus est, & tamen est causa principalis: & consiliarius negotia principis consilio dirigens non est Principalis: sed Princeps jubendi potestatem habens, cui ille subordinatur.

15. *Instrumenta & Media sæpe coincidunt, sæpe divisa sunt.* Gerendi belli milites atq; naves tam instrumenta quam media sunt, pecunia tantum Medium. ita cibus conservandi corporis medium est, non instrumentum. sunt & Media quæ causæ agenti per modum instrumenti non subordinatur, ut cum alius Rex ad componenda dissidia se intermedium offert. Etiam Actiones finis consequendi media dicuntur, non instrumenta. Sed hic loquendi consuetudo dominatur.

16. *Causa per se* est quæ ex destinatione agit: *Per accidens* quæ non ex destinatione. In rebus naturalibus causa per se est quicquid agit ut divina destinatione modo ordinario debet: in ratione præditis quæ sciens atq; volens propriâ intentione agit. Cum fissor lignorum datâ operâ secum alterius capiti infligit, per se infligit; cum nihil tale cogitat, per accidens. Sal per se salit, oleum per se impinguat, quia

ea

ea ipsorum natura est; aqua a. salit per accidens, quia eam vim non ex propria facultate fundit. Sic quoq; Astronomus per accidens canit, Musicus per se. Per accidens etiam evenire dicuntur, quæ præter naturæ consuetum cursum fiunt, licet causæ inter se junctæ per se talem effectum producant. Nam ipsa earum conjunctio nostri respectu per accidens est, licet respectu destinantis Dei sit per se. Sic per se æstas & autumnus fiunt, quia constitutione Numinis ordinariè fiunt; ingentes a. morbi dicuntur grassari per accidens, quia non ordinariè.

17. *Causa necessaria* est, quæ non potest non agere: *Spontanea* quæ imaginatione incitata fertur: *Libera* quæ rationaliter omnibus perpensis potest agere vel non agere; vel hoc potius, quam illud.

18. *Causa naturalis* est, quæ per suæ naturæ proprias sibiq; debitas vires agit; *Præternaturalis* quæ per se ad talem effectum non est ordinata; agit tamen, vel quia aliunde vires habet, ut cum calor naturæ à causâ externâ inflammatus febrim in corpore accendit; vel ob naturæ universalis instinctum, cum aqua sursum, aër deorsum fugâ vacui moventur. Supernaturalis est quæ effectum producit supra creatam vim positum, ut cum amygdali aridus

dus baculus unâ nocte & germinat & fructus fert. *Est a. aliquid supra naturæ spheram* vel simpliciter, sic supra naturam est ex lapide fieri hominem; vel respectu alicujus speciei, sic supra naturam hominis est volare; vel respectu alicujus individui, sic supra naturam pueri est citatissimo gradu ferri, vel ingentem lapidem movere; vel respectu modi agendi, sic supra naturam est hominem ingenti morbo correptum momento restituere.

CAP. XI.

De Efficienti, Materia, Forma.

1. *Causa efficiens est, qua extrinsecus effectum producit.* Hinc & dicitur *causa externa*; *Materia & Forma sunt interne*, quia semetipsas rei productæ præbent, ut hæc ex illis constet sive constituatur.

2. *Materia* est id ex qua aliquid fit: *Forma* per quam. Leonis forma est talis ipsius anima ab equi & quercus formâ diversa: forma tritici est per quod est triticum, non avena; sicut cantharus suâ formâ talis est, non patina aut cochlear.

3. Materia *Elementum*, *Massa*, *Semen* dicitur. Elementum est quid simplex ex quo primo aliquid componitur & in quod ultimo resolvitur.

solvitur. Sic literæ sunt orationis elementa; & per elementa Grammaticæ ac Logicæ prima principia sive fundamenta intelligimus. Aqua Terra, Aër compositorum elementa sunt. *Massa* est materia densior ex qua aliquid confici potest. Non dicimus aërem vel aquam Massam sed terram humore imbutam: *Semen* est materia vim formativam in se continens. Sic contentiones præliorum semina existunt.

4. *Conditiones Materiæ sunt, esse informem, habere aptitudinem ad inducendam formam, esse indifferentem ad formas plures.* Informis est, non quod formam nullam habeat: sed quia non habet formam compositi; siquidem ita non pars compositi esset, sed totum. Formā a. habet sibi propriam, quâ est id, quod est, quia nulla essētia sine aliqua formalitate est. Apta ad recipiendam formam esse debet, quia alias non esset formabilis per hanc formam, hoc est, non esset socialis. Unde ex quovis ligno non fieri Mercurium dici solet. Materiam a. cum concipimus ipso conceptu ejus indifferentiam inferimus.

5. *Conditiones formæ sunt Materiam determinare; facere ut res talis sit, qualis esse debet: Materiam suis usibus applicare. Determinare* est tollere indifferentiam. nam quæ determinantur certo signantur puncto atq; termino;

no; sicut agri limitibus secreti, ne communiter pateant. Hinc determinatus & limitatus orationis sensus. Quare cum forma materiam determinare dicitur, ejus intelligitur tollere indifferentiam, quam ad plura habet, eamq; in certam figuram redactam illis applicare usibus, quos efficere forma per materiam à Deo destinata est. A formâ n. actiones procedunt mediante corpore producendæ; quare sicut diversæ sunt formæ: ita quævis aptum sibi corpus fabricat, in quo suas vires explicet; quæ corporum diversitatis causa est.

6. *Hinc à formâ est Esse, Operari, Distingui.* Nam per formam est, quod rana rana est, non piscis, & ut tanquam rana agat, atq; à pisce distinguatur.

7. *Forma vel est informans vel adsistens.* Illa est propriè forma, de quâ hactenus diximus: Adsistens ad efficientem pertinet, ut cum nauclerus navim, auriga equos regere dicitur: vel Angelus in adsumpto apparere corpore. Non n. vitalem motum ei imprimit, sed sicut homo vestimentum: ita ipse corpus sibi circumpositum habet. Figuræ externæ etiam formæ vocantur: sed non sunt informantes, quæ propriè sunt compositorum naturalium: sed tantum externam rei habitudinem declarant; ut rotundum, quadratum.

8.

8. *Materia vel est Prima vel Secunda. Prima* sunt elementa corporum in quæ ultimo resolvuntur: *Secunda* est quæ ex prima formam ad formam aliquam aliam recipiendam aptitudinem habet, ut succus terræ ex quo fit arbor aut cerasum. *Materia proxima* est, quæ ita præparata est ut proximè recipere formam apta sit; *Remota*, quæ variis dispositionibus demum est præparanda: proxima materia sella est lignum; remota succus terræ è quo lignum est.

9. *Characteres causæ producentis in universum sunt, Scire, velle, posse producere*; ex quibus si unum desit actio claudicat. Hinc cum longo tractandi usu dexteritatem acquiri experientiâ compertum sit veterano se libentius credunt rerum expertes, quam ei, qui demum operi admovere manus incipit. qui licet opinione sæpè fallantur, tutius tamen est consuetam tritamq; viam insistere, quam clausis oculis pedes inferre in ignotam, quæ quo ducat incerto est. Quos cogitandi aptitudine Natura atq; industria instruxit eorum officium est, non quid fiat, & quâ temporis se longinquitate tueatur, attendere: sed quam aptè fuerit factum, & quibus novis viis atq; rationibus melius fieri & commodius possit. Ita imperitorum consulitur saluti, qui inexploratis se temere

mere objicere non debent, atq; simul inquisitionis fovetur alacritas.

10. *Caterum cum quis rerum ordinem seriè secum expendit, manifesto apud se animadvertit sensu, rectæ rationis processum à progressu in infinitum abhorrere.* Sisti n. amat & quiescere in extremo aliquo, atq; summo, sicut magnes septentrioni obversus sistitur, ultra quod nihil esse, nihil cogitari possit. Hoc v. est illud unum primum summum rerum omnium principium, quem Deum vocamus.

11. *Ab hoc esse, quicquid est, ipse rerum ordo docet, & sua quemvis convincit conscientia.* Nam stultissimum est tanta opera temeritati casus tribuere; & in temet ipse deprehendis, quod non à Te ipso sis: sed originem debeas alii. quis ergo primum hominem condidit, quis primum Leonem? & si illi fortuito concursu primùm facti sint, quî fit quod post tot seculorum decursum non novæ fiant species?

12. *Sed tantorum operum Autorem Deum esse fortean concesseris, adjunxeris tamen Materiam ei coævam, cujus ipse non sit auctor, ut sic duo essent Rerum principia, unum extrinsecum alterum intrinsecum?* Sed nec hæc opinio stare potest. Nam si materia à se ipsâ esset, à Deo simpliciter existeret independens, neq;

dari

dari causa posset cur unum alteri habitudine proportionatâ respondeat. Nam quis eis indidisset? certe si unumquodvis à se ipso est ex ortum, in semetipso sui esse complementum ultimum possidebit, quia ad aliud à nullo destinatum est complendum. Nunc a. cum sint aptitudinibus ostendant, se non sibi sed aliorum esse: quibus sui facere ultro copiam optant, manifestum est, ea ab communi quodam efficienti trahere originem, quod tales singulis inclinationes insevit: quare nulla est realitas quæ non à Deo sit.

13. Cum forma faciat rem esse, ut talis sit, *observandũ duplicem esse Formam*, alteram quæ ipsâ essentiæ quidditate concipitur, ut forma Angeli; alteram quæ compositi corpus regit, ut anima Leonis. Illam actum Entitativum vocant; hanc formalem. Actum a. dicunt, quo omnis forma actuat.

14. *Ut materia à Deo est: sic & forma*: Dum res materiales mandatum se multiplicandi à Deo acceperint, ut procreans procreatæ materiam tribuit: sic & tribuit formam. Nam ex semine Canis non fit bos, nec ex tritico quercus: quare in ipso semine latet forma, quæ idoneo loco fota corpus sibi idoneum fabricat.

15. *Nimirum quævis forma sui corporis quod informat, Efficiens est*. Non n. vituli cor-

ui

pus quædam intelligentia sive Angelus formet, ut quidam existimant: sed ipse sibi fabricat spiritus, qui deinde illud regit. Nam sicut formatum absq; Angeli operâ nutriendo perficere & perducere ad maturitatem potest (quod sanè ab eadem vi formativâ procedit) ita per benedictionem creatoris formandi corporis vires & scientiam accepit.

16. *Est a. una tantum cujusq; compositi forma primaria à qua denominatur*, quia unum tantum compositum est. interim Principali aliæ esse subordinatæ possunt; ut hepar, cerebrum, cor propriis formis differunt, & communi tamen hominis animâ informantur.

17. *Licet per formam essentialem res sit id, quod est, non tamen per eam totaliter essentia ejus absolvitur.* Essentia n. compositi ex omnibus suis partibus constat, non tantum ex principaliori: quare cum homini ex terrâ formato per nares spiraculum vitarum Sapiens creator inspiraverit, non solâ mente constare putandus est, cui corpus tanquam integumentum aut carcer attributum sit, adipsum nihil pertinens.

18. *Forma externa licet per se nihil agat, ad agendum tamen confert.* Hinc variæ partium figuræ existunt, ut non tantum pulchritudine eximiæ essent: sed & usu efficaces, ut oculorum rotunditas, digitorum longitudines, latitudines pedum.

19.

19. Si quæras *unde causa finalis suam ducat originem?* Respondeo Primum illud, Vnum, & summum sibi ipsi principium & finem esse. Nam ut à nullo dependet: ita à nullo ad aliquid destinari & alicui usui addici potest: quare quicquid agit propriæ excellentiæ admiratione agit. Sicut n. princeps opibus valens præmia distribuit, non ut quicquam recipiat, aut alterius gloriam illustret: sed ut magnifico splendore suarum opum magnitudinem ostentet, nihil pro beneficio nisi laudem & cultum exigens: ita Deus propriæ gloriæ & beatitudinis intuitu agit, quicquid agit, ut eum solum perfectum esse atq; beatum reliqua omnia fateantur. *Vt ergo Deus est primum efficiens, sic & ultimus finis; & per consequens ut prima causa efficiens à nullo est; sic & finis.*

20. Quatenus a. unum propter alterum conditum dicitur, proximus finis intelligitur, dum unum alterius usui dicatum est. sic propter hominem tetræ fruges sunt, gramen propter bovem, calceus propter pedem; quo casu finis æque à Deo est, utpote in Ideali habitudine fundatus.

21. Cæterum in producentium causarum concursu tria consideranda sunt *Fatum, Fortuna, Casus.*

22. *Fatum est talium causarum concursus ex*

ex quibus taliter agentibus effectus talis necessario sequitur. Dicitur à Fari, quia Creator, ut illæ jungerentur causæ, fatus est, seu dixit, jussitq; . Ipsius n. Supremum regimen, quando de Fato est sermo, debet respici, ut cum ipso inscio & invito nihil fiat, intelligatur ipsius consilio atq; constitutione stare, quod illâ connexionis serie causæ coeant atq; hujusmodi cursu, non alio, ferantur. Hinc n. imperiorum, familiarum, & cujusq; hominis fatalis orbis est. *Velle a. Deum nec essitati fatali illigare est primam unitatem è suâ sede emotam intra aliorum multitudinem cogere atq; undiq; circumfusæ injecere vincula, quibus hinc inde traheretur.* Solus Deus dixit, & facta sunt: ut ipse faciat, extra eum nemo est qui fatur.

23. *Hinc Fatum inevitabile dicitur*, quia cursu agentium causarum correptus nec solvere se ab earum vinculis potest, nec alio avertere impetum: sed tanquam in torrentem missus rapido undarum cursu volvitur.

24. *Fiunt a. fatales effectus plerunq; per causas naturales Deo ita eas disponente.* Sic fatales æstatis & hyemis periodi causis in varias connexiones fluentibus existunt; quare vt à supremo rerum moderatore nunquam in ipsius operum contemplatione avertendus animus est; ita non sufficit dicere fataliter nunc bel-

lum est aut pluvia, aut æstas, quia Deus vult. Nam per quarum causarum connexionem Deus illos effectus produci velit, prætereà considerandum.

25. *Fortuna est latens causarum nexus.* Ex parte nostri dicitur, quibus multa prætet opinionem contingunt.

26. *Casus est causarum naturalium absq; certa apparentiq; destinatione confluxus.*

CAP. XII.

De Effectu.

1. *Effectus est id, quod per causas est productum*, ut calceus à sutore. dicitur *Ens per participationem*, quia suum esse à producente participat; estq; interdum sola agentis operatio, interdum res per operationem producta. Hæc opus vocatur, quia per operationem factum est. *Factum* est factum quoddam insigne.

2. *Vi participatio effectus dependentium à causa infert: sic infert certi temporis articulum, quo esse capit, cum antea non esset.* Nullus ergo effectus ab æterno potest esse, quia ponit causam se priorem, cujus actuali influxu ipse esse incipit. quod a. esse incipit, non est ab æterno.

3

3. *Quamvis causa æquivoca non eandem effectus communicet essentiam, vestigia tamen sui indolis ei imprimit, ex quibus, tanquam ex signo Lyncæ, habitudo ejus cognoscitur.* Nihil n. quicquam producere potest, nisi ejus producendi actualiter in se vires habeat: quare necesse est, ut effectus habitudo respondeat habitudini virium per eas productis. Et Deus quidem rem secundum Ideam in essentiâ suâ repræsentatam producit; creatum quodvis, cum de alieno communicat, suæ particulam substantiæ ei tribuit: quo ipso effectus habitudinem quasi tingit & imbuit. Ita sol vivificam suæ caloris communicat.

4. *Effectus in comparatione ad suam causam vel ordinarii sunt vel extraordinarii.* illi consueto modo fiunt; hi inconsueto, ut extraordinarius favor, casus. *Consuetum* a. est quod longo temporis progressu eodem modo & ordine peragitur: cui *Infrequentia, Rara, Inconsueta* opponuntur.

5. *Modus a. agendi extraordinarius non statuam facit extraordinariam.* Potest n. artifex consuetam rem nova via tentare. Omne v. ordinarium ab initio fuit extraordinarium, quia cum ejus initium fieret non erat usitatum.

6. *Effectus ratione causæ supernaturalis dicitur*

citur *Miraculum*. Mira opera etiam homines atq; Angeli producere possunt, cum activa passivis, hoc est, habilia ad ratum effectum producendum conjungendo rerum ignaris stu. porem incutiunt. Solus Deus naturam in suâ potestate continet, ut eam transformare pro arbitrio possit. *Est a. Supernaturale non* quod est supra hujus vel illius speciei facultatem positum: sed quod supra naturam universalem. Sic miraculum est conversio aquæ in vinum, resuscitatio mortui; non si Angelus unâ nocte aliquot hominum millia interimat. vel est miraculum ratione naturæ particularis, licet in respectu ad alia non miraculum sit. Ita volare non est supernaturale nec miraculum, volare a. hominem miraculum est, sicut asinam loqui.

7. Effectus aut habet totius sui esse complementum & sic perfectus & absolutus est; aut non, & inchoatus, inelaboratus, Inabsolutus dicitur.

8. *Nullus effectus est omnibus suis causis nobilior.* est n. Ens per participationem: quare quod non accepit non habet. quod a. nulla ejus causa habet, ipse accipere non potest.

CAP.

CAP. XIII.

De Actionibus.

1. *Motus est rei agitatio.* ubi requiritur Movens, Mobile, & ipsa agitatio utrinsq;.

2. *In Movente requiritur* Posse, Scire, velle movere. de quo supra.

3. *In Mobili requiritur* debitum spatium seu locus, in quo moveatur: Debita ad movens præsentia: Debita ad id obversio, sive accommodatio: Debita mora. Non n. omnia ubiq; agere decet, nec possibile est: debetq; mobile intra moventis sphæram comprehendi atq; debito ei obverti situ. Non occidit bovem lanius cum pedis tantum percutiendi facultas est, aut cum ob necessariæ moræ defectum justum ictum inferre nequit. Et hæ conditiones etiam ex parte Agentis considerandæ sunt.

4. *Motio contactum mobilis importat;* quia impossibile est, ut aliquid moveatur, nisi id, quod movetur, contingatur à movente.

5. *Contingere est nullo intercedente adesse alteri.* Nam inter quæ nihil intercedit se tangunt, ut Chirotheca manum: estq; tactus vel

nudæ adjunctionis vel perceptionis. Illo modo duo asseres invicem conglutinati se tangunt; hoc modo pulex pungendo tangit. Ille sine motu fit, hic semper cum motu, quia percipere est moveri à re percepta.

6. *In tactu perceptivo rerum est consideranda Præsentia, ratio perceptionis, Percipientis mutatio.* Præsentia vel est totius substantiæ & molis corporalis, vel effluviæ à substantiâ virtutis. Illo modo rosa nares tangit cum admovetur; hoc modo, cum per sua effluvia è longinquo percipitur; sic catus in cubiculo non visu tangit, sic magnes ferrum. Ratio perceptionis vel est mutua vel non mutua. Illo modo tangens sentit se tangere, & tactum sentit se tangi; hoc modo alterum ipsorum tactum tantum percipit. Mutatio in percipiente necessario existit: nam tangere est sui sensum alteri imprimere: quæ impressio mutat rem quæ tangitur, id est, facit ne aliter se habeat, quam habebat antea: quia nunc movetur, cum prius quiesceret. Percipere n. est alicujus impressione moveri taliter, qualiter impressio facta est.

7. *Motus ex parte Moventis, est Actio; ex parte Mobilis, passio.* Movens n. suas vires exprimit, applicat, impendit, Mobile excipit, movetur, motus; agitatum sentit. Cum mo-

vens

vens movendo, ut spiritus animalis, movetur; & agit & patitur. atq; hinc ejus defatigatio.

8. Ex his *Afficientia* Rerum intelligitur, quâ unum afficit, alterum afficitur. *Afficere est* pro sua habitudine movere aliquid, sive sui habitudinem imprimere. Sic mollia molliter, aspera asperè afficiunt, quia talis habitudinis sunt; quando aliquid non possit sui impressionem in altero aliter formare, quam ejus habitudo fert.

9. *Actio est vel Immanens vel Transiens.* Illa est motus in causâ agente consistens: hæc ab agente transit in aliud. Intellectio, Volitio sunt actus immanentes, quia non egrediuntur extra potentias in subjectum aliud: Fissio est transiens, quia non se ipsum, sed lignum fissor findit. Actio interna in suâ causâ terminatur: externa seu transiens è suâ causâ emanat & immanat in Objectum aliud, illudq; pro suâ habitudine immutat.

10. *Sunt Actiones quæ nullum post se opus relinquunt*, ut saltatio, Cytharisatio; *& sunt quæ opus producunt*, ut ædificatio; *& sunt quæ destruunt*, ut incendium.

11. Motus in genere variis vocabulis appellantur, *ut Fungi, Exercere, Operari, Laborare, Navare, Vacare, Moliri, Versari, Conversari, Tractare.*

12.

12. *Productio* versatur circa producibile: *Destructio* circa destruibile.

13. *Producibile est* quod aptum est produci, hoc est, quod Possibile est. Possibile est, cui non repugnat esse. quæ non-repugnantia in eo consistit, quod partes possibiles inter se congruant; & suâ illâ congruentiâ aliquod agens respiciant.

14. *Impossibilitas n. est ad existendum repugnantia:* estq; vel absoluta vel respectiva. Absolutè impossibile est, cum habitudines rerum nullo modo congruunt, sed positâ unâ altera tollitur. Nam quia non congruunt, incoibiles sunt. Vta. incoibile coeat, impossibile est. Ita σκολιὸν ῥόμβον, obliqua rectitudo simpliciter impossibilia sunt; quia Deus in suâ essentia videt tales eorum esse habitudines.

5. *Respectivè impossibile est*, cum res quoad suas habitudines inter se congruunt quidem, & coibiles sunt: respectu tamen alicujus agentis produci nequeunt. Sic impossibile est hominem volare, puerum ingentem lapidem movere. Illud *Intrinsecè impossibile* dici potest; quia in ipsa terminorum habitudine repugnantia est; hoc *extrinsecè*; quia in se absolutè possibile est; fieri à. non potest ob alicujus agentis imbecillitatem.

6. *Quicquid Possibile est potentiam activam*

vam respondentem habet. Est n. producibile, quia potest produci; nihil a. à se ipso potest produci, ut monstravimus; ergo possibile est in respectu ad producentem: quare si nullus Deus esset, nihil omnino esset possibile; sicut si repugnaret potentia visiva, nihil visibile esset.

17. Est ergo Possibilitas non absolutè nihilum: sed suam habet in suâ causa realitatem. Nam cum nihil alteri aliquid communicare possit, nisi illud habeat; non habeat a. nisi actu habeat, utiq; necesse est, ut potentia activa rei possibilis actualitatem in se ipsa complectatur. Quod in rebus naturalibus manifestum est, quando impossibile esset, ut Corylus Corylum produceret, nisi coryli producibilis possibilitas actu in ipso latitaret. Quare quæ potentiâ sunt nullam actualitatem in se ipsis habent, quâ propriâ in rerum naturâ stare existentiâ intelliguntur; habent tamen actualitatem in suis causis, quia non ab illis produci possent, nisi in illis essent.

18. *Hinc rei possibilitas demonstratur*, si manifestum fiat adesse sufficientes ad agendum vires, ipsamq; materiam effectui destinato esse accommodatam (nam ex ferro navim non facies) neq; media & necessarias ad agendum conditiones deesse. Horum n. si-

num

num desit, eatenus impossibile est.

19. Deo infinitâ agendi potentiâ pollenti omnia possibilia æquali respectu objiciuntur; in ordine ad creata ut quædam impossibilia sunt; ita alia sunt *facilia*, nonnulla *difficilia*. illa sine magna virium contentione fiunt; hæc requirunt vires intentas. *Mediocria* sunt, quæ statu medio inter utraq; interjacent.

20. *Possibile ergo actionis objectum est; circa quod cum actio versatur Possibile dicitur* FIERI. Fieri est ex suæ possibilitatis statu, quo latebat, produci in existentiæ actum, tanquam in conspectum.

21. Quorum operum productio cum temporis successione peragitur, in eorum FIERI occurrunt *Præparatio, Formatio, Firmatio.*

22. *Præparatio est dispositio rei ut apta sit forma introducenda vel ut vitæ suæ officia fungatur.* Sic præparare bellum est milites conscribere, reficere naves, renovare fœdera. *Apparatus* est possessio rerum ad agendum necessariarum, ut apparatus belli, scribendi libri. Hinc seminarium dicitur, ubi nova præparantur, quæ in veterum locum succedant, ut Academia seminarium Reip. est.

23. Præparationes in rebus variis varia nomina habent, nam cibus præparatur coquendo, condendo; ager aratur; homo instituitur, quor-

quorsum omnis generis præludia pertinent.

24. *Formatio est ipsa formæ introductio*; quod tripliciter fit, *Creando*, *Generando*, *Fabricando*.

25. *Creatio est productio rei vel ex nihilo vel ex materiâ indispositâ*. *Generatio* est corporis naturalis per naturalium causarum concursum productio. *Fabricatio* est actus agentis rationalis activa passivis conjungentis. Creatio solius Dei est, Generatio Naturæ, Fabricatio Artis. Deus est, rerum omnium primus Artifex, à quo natura didicit æquabili tenore suos cursus conficere; atq; homo per insitos divinæ sapientiæ characteres, quo quidvis efficiendum sit modo, edocetur.

26. *Formatio est rei productæ roboratio*. Non desistit natura & relinquit rem in esse statu, quo procreavit: sed fœtum suum q. de novo aggreditur, firmat, roborat, atq; illi fini, ad quem est destinatus, præparat. quæ Formatio in nonnullis etiam artium effectis necessaria est.

27. *Per fieri res in existentiam veniunt*. Existentia est status rei quo secundum se in rerum naturâ est. Quod non fit, non existit; quia ex statu possibilitatis in statum existentiæ non datur progressio nisi per motum. nam progredi moveri est.

28.

28. *Hinc quæ fiunt in motu sunt, atq; ut loquuntur, in via à non-esse ad esse: quæ corrumpuntur, ab esse ad non-esse tendunt.* Habet n. omnis motus suos terminos, ubi incipit & desinit, cujus ab uno ad alterum progressus via sive tendentia dicitur. *Terminus ubi motus incipit à Quo; ubi desinit, ad Quem dicitur,* Sic generationis terminus à Quo est, cum primum spiritus in semine se excitare in effigiationis actum incipit, cujus omnes actus in via ad generationis terminum ad Quem sunt, quicunq; ad generandum concurrunt. unde quæ facta sunt, detrudi iterum in statum nihili possunt, quia quâ potentia in theatrum rerum producta sunt, eadem & de eo deduci possunt.

29. *Ex Materia & Forma de Qualitate; ex efficientis dexteritate de rectitudine operis est judicandum.* Tale n. unumquodvis est ex qualibus partibus constat (ut vestis ex optimo vel vili panno) num a. rectè sit factum ad efficiendi ideam est recurrendum.

CAP. XIV.

De Conditionibus Actionum.

1. COnditio est positio alicujus, ut sit quid aliud. ubi requiritur aliquod ponibile, &

& aliud ad quod poni possit, atq; intercedens respectus, ut si illud ponatur, hoc etiam possit poni. ut, si volat asinus, habet pennas: si volat, est conditio; quæ si ponitur, ponitur etiam, tanquam antecedens, habere pennas.

2. *Est 2. hujus vocis duplex significatio diligentissimè discernenda.* Dicitur n. conditio, quod ex parte ipsius rei, ut simpliciter sit, requiritur; ita ut res existere nequeat, nisi ipsum ponatur. Sic ad videndum requiritur potentia visiva & objectum visibile; sine quibus fieri visionem impossibile est. Dicitur deinde conditio, quod arbitrario instituto alicui appositum est, ita quidem, ut hoc, absolutè, sine illo fieri vel esse possit, quia existentia ejus aut productio nullâ respectus necessitate ab eo dependet: & tamen quando causæ agenti semel visum est effectum ab arbitrariâ tali positione suspendere, necesse est, ut illa adsit conditio, si effectus poni debet. non necessitate absolutâ & intrinsecâ: sed quia libera requisitæ conditionis positio semel facta est. Nam cum res est, etsi contingenter sit, dum tamen est, necessario est. Talis conditio est: dabo pecuniam si pater venerit, desponsabo tibi filiam, si Magisterii gradu fueris ornatus. Nam & dari pecunia, sine parentis adventu, & desponsari filia Magisterii titulo non insignito absolutè

potest.

potest. Prius conditionum genus rem in statu absoluto relinquit, posterius conditionatam facit; unde illas intrinsecas vel Rei requisitu vocare possumus; hasce extrinsecas & instituto libero appositas seu adjectas, sive etiam liberas. Sic donatio absoluta est cum ex meră liberalitate aliquid donatur; donatio propter nuptias conditionata est, quia non nisi nuptiarum intuitu fit: sic promissio absoluta est, Ego ad Te veniam; conditionata, veniam si exlex clarum fuerit, aut si novam vestem accepero. Quare cum jurisconsulti in omni promissione tacitam conditionem includi annotent de requisito ad omnem actum necessario loquantur, quamvis n. absolutè dicam, cras te videbo, supponitur tamen, si oculos retinuero, aut si tu fueris visibilis.

3. *Sunt n. Actionum requisita sive conditiones.* 1. Agens. 2. Objectum. 3. Finis actionis sive scopus. 4. Media. 5. Circumstantiæ. Nam hisce nisi positis actio non ponitur. Quamvis dentur actus quidam irrationales nullo fine fuscepti, nos a. de rectis loquimur.

4. *In Agente considerandæ sunt,* 1. *Vires,* 2. *Status,* 3. *Norma. Vires* illud Scire, Velle, Posse complectuntur. In scientia est rei cognitio & dexteritas (quamvis hæc per omnes facultates sit fusa.) in velle requiritur ardor & inten-

intentionis constantia: in posse alacritas & industria executio. Nam scientiæ est regere; voluntatis Rectorem studio alacritatis inflammare; Virium dare executioni Volita & constituta. Non satis est recta consilia agitasse, facto opus est: non satis est bene cœpisse, durandum est.

5. *Non n. omnes sunt omnibus apti*; Alij consilio valent, alii robore corporis: quare imprimis quo rapiat naturæ impetus est attendendum, ut ex propriæ inclinationis sensu, non alienâ voluntate & imperio semetipsum certo operi ex sui animi sententiâ quis applicet. Non n. omnia possumus omnes, sed ea tantum, ad quæ propitia naturâ ferimur. Quod si opus ita comparatum est, ut varii inde emergere casus possint singula rerum momenta diligenter æstimanda sunt, ne quid detrimenti capiat. Et *in universum ubiq; circumspecte agendum atq; semper cogitandum Quid agis?*

6. *Sed est & status agentis considerandus*, quia ut omnia non possunt omnes: ita nec omnes omnia decent. Aliud Regi convenit, aliud rustico; aliud juveni, seni aliud. quod in uno laudem habet, in altero ut vitium notatur. In viro modestia laudatur, puellaris ille in virgine gratissimus pudor atq; taciturnitas in ipso reprehenditur. *Hinc in omni actione quærendum Quis fecerit?*

7.

7. *Consideranda deniq; est Agentis Norma* ut appareat, cui Regulæ se accommodaverit. Est quidem una rectitudinis norma, recta animi rum ratio, quam lex divina perficit illustratq; verum non omnes suos actus ad ejus præscriptum componunt. Sunt qui temere se in res induunt: sunt qui pravis opinionibus infecti regulam mendacem adhibent; alii cœcam affectuum sequuntur libidinem ipsorumq; quasi Ductu & auspicio aguntur. Ad rem a. pertinet scire an quis datâ operâ, hoc est, sciens, volens, invitusne, num quodam iræ, amoris, metus turbine abreptus egerit. vocabula respectum ad normam dicentia sunt Debitè, Decenterè, Ritè, Exactè, Accuratè, rectè atq; ordine, diligenter, superficiarie, negligenter, Præposterè, Perfunctoriè.

8. *Circa objectum quintuplex intentio occurrit.* Nam aut volumus *aliquid producere; aut productum, ut est, conservare; aut illius statum ornare in melius & perficere; aut è statu corrupto extrahere in debitum; aut corrumperi.* Habitudines a. Objectorum sunt variæ. Alia *Vana, Frivola, Inepta:* alia *Ardua, Momentosa, Seria* sunt. *Frivola* sunt nullius æstimii; *Vana* nullius usus, *Inepta* nullius decoris. Ineptum dicitur in ordine ad normam agendi, quod agenti non est aptum, sive quia absolutè non decet

decet, sive quia non decent talem statum. Nam quæ in puero jucunda sunt, in sene ridentur. Ridiculum est quod præ ineptitudine dignum risu. quorsum scurrilia pertinent. *Ludicrum* quod lusu fit, hoc est, quod ad sui tractationem attentionis pondus non requirit. Levis n. res est, tanto animi pondere æstimari non postulans. Nam *ludere* est animum à ponderosâ industriâ remissum & laxatum rebus levioribus oblectare.

9. *Ardua* sunt, quæ multum laboris; *Seria* quæ ad agendum attentionis pondus requirunt, seu quæ momenta habent. Hinc graviter, circumspectè prudenter tractari volunt, non evanidâ quâdam levitate & superficiariè. Unde serio loqui est pondera & momenta afferre: serio agere animi vires ad opus perficiendum cum attentione collectas intendere, *Iocari a.* est rei aliquam speciem ratione quâdam jucundiori prætendere. Non nunquam serio ludimus, cum adest intentio ludendi; interdum ludendo agimus seria, cum intentionem rei agendæ habemus: sed non urgemus mediis ordinariis & ponderis aliquam gravitatem præ se ferentibus. Ludere namque & serio agere interdum animi contentione atq; remissione discernuntur; interdum distinguuntur per Objecta, quando alia ad vitam agendam mo-

menta habent, alia oblectationi inserviunt. Iuvat quosdam in scachorum lusu summam animi contentionem adhibere, aut per saltus in venationibus gravissimis se defatigare laboribus, qui, cum officium faciendum est, & rebus necessariis consulendum, manus emortuas habent, & operam quantumvis levem in molestiis ducunt.

10. *Quod ordinarie agere consuevimus,* ἔργον *est, reliqua dicuntur* Πάρεργα. ἔργον est res sive actio cui major temporis pars impenditur; παρέργῳ tribuitur tempus ab ἔργῳ reliquum. Hinc *horas succisivas* dicimus; quorsum omnes παρεκβάσεις sive digressiones pertinent. Vt a. agendi prudens cum rem tractat semper sibi in memoriam revocat *Hoc Age*, quò attentionis curam sine evagatione ad alia ei, quod præ manibus est, acriter intendat: ita nunquam illud ei excidit *Dic Cur Hic*; ne omisso cervo, quem capere constituit, forte visam aviculam studiosius insequatur.

11. *In fine considerandæ est ejus propria habitudo*, ne quæ via tantum ad terminum ultimum esse debet pro extremo apprehendatur. Finem n. suum qui ignorat, cæco impetu rapitur, ut nihil rectè agat atq; ordine, quando nihil ad debitũ locum referre novit: quare prima cogitatio de fine esse debet, ut sciatur quàm sibi

aptus

aptus sit, atq; ex ejus habitudine accommodata media inveniantur. Vt n. ad supremum finem omnia sunt referenda: ita & sunt subordinanda illi, quem unusquisq; in eo vitæ genere, quod sectatur, sibi præstituit: *juvatq; subinde cogitare, quam ea res instituto utilitatem ferat, quomodo ab aliis feliciter perpetrata ipse imitando tentare & consequi possit*; neq; flores sibi colligendos putet, perinde ut puellæ, ad conspectum: sed ad instar apum extracto meliori succo convertere in usum discat.

12. *In Mediis proportio ad Finem & Agens reliquasq; circumstantias considerandæ.* Non eandem insistere viam omnes possumus, alii cursu lineâ rectâ contendunt, aliis per ambages æquor circumnavigandum est. Et cum ex finis consideratione mediorum seges nascatur circumferenda per omnes possibiles modos mentis acies, atq; cum illo contendenda quæcunq; aliquam ad ipsum proportionem habent. Ita fiet, ut non tantum quid, in rem sit inveniamus: sed & quid alii animo agitent ex mediorum, quibus utuntur, habitudine ad finem proportionatum comparatâ perspicere discamus. *Nam in mediorum accommodatorum perspectione atq; dexterâ ad rem propositâ applicatione omnis agendi Prudentia consistit.* Cogitandum a. *illud esse optimum, quod ei, cui*

& à quo est adhibendum aptissimum est, licet aliis minus congruat: atq; imprimis vis & valor attendendus, non externa species.

13. *Ultima actionum conditio est Circumstantia*, quæ est extrinsecùs quid actum circumstans ejus non constituens essentiam. Nam quæ in Philosophia naturali Accidentia, ea in Morali circumstantiæ dicuntur.

14. Earum numerus trito hoc versiculo comprehenditur *Quis, Quid, Ubi, Quibus auxiliis, Cur, Quomodo, Quando.* Nobis Quomodo, Quando, Vbi supersit.

15. *In Quomodo considerandæ* I. *Agentis status*; num ex irâ, odio, amore, deditâ operâ, invitus fecerit. II. *Actionis habitudo in se*, quorsum Gestus, Cæremoniæ, Ritus, Pompæ, Solemnitates pertinent, quæ nihil sunt aliud, quam certæ configurationes, quibus actiones formantur. Sic *Ostentatio est talis actus habitudo quæ operi speciem conciliat, ut aliorum potentius oculos feriat*; atq; pro diversâ actuum habitudine vel in vitio vel in laude ponitur. III. *Actionis ad Ideam conformitas vel difformitas*. Hæc vel excedit modum, vel citra consistit. Illud peccatum in excessu; hoc in defectu est.

16. *In Tempore spectanda Occasio*, quæ est ad agendum opportunitas. In tempore ve-

nire

nire optimum est; solitudo ad peccandum invitat; lætior principis vultus ad rogandum beneficium. *Intempestivum*, quod non apte fit, ut in publicâ mœstitiâ publicè gaudio exultare.

17. Considerandæ a. *Actus Initium, Continuatio, Finis. Inceptio* est prima actionis pars; *Continuatio* est progressus, quæ & perseverantia dicitur: *Interruptio* a. est actionis nondum ad finem perductæ desitio: *Finis* est cessatio ab agendo.

18. *Huc Successus actionis & eventus sive exitus* pertinent. Ille in continuatione est, hic in Finitione. *Successus* est habitudo operis dum consideratur in viâ seu Fieri in ordine ad suum finem. Hannibal primùm successu læto contra Romanos bellum gessit, post infelici. *Eventus* est habitudo operis producti. ut eventus belli Annibalis Carthaginiensium erat servitus. Æstimatur n. non ex intentione agentis: sed habitudine operis. *Cum id quod intenditur, absolvitur, Consecutio, Perfectio, Absolutio dicitur*, & Agentes dicuntur expedire, Defungi, Peragere. Cum operantis conatus vanus cadit, dicitur *Frustratio.*

19. *Est a. inter Actionis Principium, Occasionem, Originem adnotanda differentia.* primum, quo tempore res fieri inceperit, alterum

rum actionis opportunitatem; tertium causam susceptæ actionis declarat. Causa calumniandi est invidia; occasio, cum calumniâ petitus aliquam indecori speciem ostendit; Initium est talis hora, dies. Quæ ad actionis habitudinem intelligendam diligenter discernenda.

20. *In circumstantiâ loci attendendum* an Privatim quid fuerit factum, num publicè, in domo alienâ num propriâ, in æde sacrâ an prophanâ, an loco certis privilegiis munito. Multa n. sunt quæ privatim licitè fiunt, & in publico crimen habent.

CAP. XV.

De Actionum Specificatione.

1. *Actionum Specificatio est, quâ in certâ specie constituta intelliguntur.* Vt fissio ligni ab actu liberalitatis & furti diversa est: quod ergo sit principium Specificans, quo una ab altera distinguitur, inquiritur.

2. Quæ superiori capite de Actionum conditionibus dicta sunt, huic disquisitioni viam aperiunt. Nam *cum actio nihil sit aliud, quam talis motus talis agentis circa tale objectum talibus circumstantiis vestitus, sequitur utiq; ex conditionum habitudine actionis formam essen-*

tiam

tialem atq; accidentalem nasci: esseq; unam ab alterâ diversam, quia diversæ ejus conditiones sunt.

3. *Et quidem in universum talis est actio, quia circa tale objectum sub tali habitudine consideratum versatur.* Nam liquefactio, condensatio, Nutritio, Excretio sunt tales in specie actiones, quia versantur circa objectum liquandum, condensandum, nutriendum, excernendum. Quare *formalis objecti habitudo facit, ut talis formaliter sit actio*: distinguiturq; furtum ab actu liberalitatis, quia illud versatur circa rem ut auferendam; hic circa aliquem gratis sublevandum; sicut fissio distinguitur ab laceratione; quia objectorum, circa quæ versantur, formalitas distincta est. *Quare quot sunt in unoquovis obiecto modi actionum receptivi, tot & sunt principia actiones specificantia.* Non liquatur aut malleo diducitur adamas, non ardet aqua, non videtur sonus; quia illorum actuum receptiva non sunt; hinc liquatio, diductio, ardor circa illa non dätur. Igitur in dijudicatione actionum simpliciter naturalium sufficit ad formalem objecti habitudinem attendere circa quod quævis versatur.

4. *Sed non quia talis actio est, ideo & recta est*; quare præter formalem objecti habitudinem datur principium aliud, quod facit, ut recta

cta sit vel non recta. Nam qui aufert rem alienam cognoscendi ponderis causâ neq; bene neq; malè agit; qui aufert ut periculo ereptam Domino reddat, benè facit; qui aufert, ut sibi servet, malè. Vbiq; est ablatio, quæ talis est, quia circa objectum auferibile, ut est auferibile, versatur: sed quod est indifferens, bona, mala ab objecto non habet, verum à causa agente.

5. Nimirum Res naturales suo impetu in actus aguntur, atq; necessitate naturali Ideæ destinationem exequuntur; Agentia Rationalia libertate prædita sunt, & ex certo proposito actionem suscipiunt: quare in illis talis est actus, quia circa tale objectum versatur; in his ad qualitatem objecti, Qualitas accedit agentis, ut actus talis sit quia tale agens circa tale objectum versatur.

6. *Nam ut in objecto propria illa habitudo, ratione cujus alicujus actus receptivum est: sic in Agente habitudo virium agendi ad actum applicatarum actum specificat.* Vires sunt Posse, Scire, Velle; quæ rectæ applicatæ actum rectum faciunt; applicatè indecenter, faciunt malum.

7. *Est a. duplex de aliquo facto judicium.* Vel n. consideratur prout in se est, suæ Ideæ, quoad absolutam existentiam conforme; vel præ-

præterea consideratur quatenus ab intentione & animo agentis proficiscitur. Potest opus esse rectum quatenus suæ Ideæ respondet, & tamen animo improbo esse factum. Elegantissima Virginis imago omnes artis numeros complectens rectè facta est, quia pictor linearum ductus ad regulas rectè pingendi composuit; & tamen, si facta est, ut juvenum libidines proritet, improbè facta est; quia non composuit suam intentionem ad regulas sapienter & honestè pingendi.

8. *In illorum habitudine exquirendâ sufficit opus ipsum externum adspicere & ad suam exigere ideam.* Non n. ideo rectè ædificavit, qui voluit ut ædificium esset utile: sed qui ad ædificandi ideam se accommodavit. Quare talia ab agendi dexteritate vel aberratione à debitudine speciem accipiunt, atq; secundum se sua æstimia habent. Et sic de omnibus Artificialibus judicandum.

9. *Verum in actibus Moralibus dijudicandis non in externo opere hærere oculus debet, sed penetrare ad interiora, &, quo animo sint facti, inquirere.* Nimirum conscientiæ tibi instinctus dictat: *Rationaliter agere non esse tantùm actum externum suæ Ideæ componere: sed & velle ut compositus supremi Numinis gloriam celebret.* Non a. celebrias, nisi ita Cogi-

tes,

tes, Velis, Agas, ſicut Deus te velle vult, & deſtinavit; quia ſicut judicandi vim dedit, ut rectè judices: ita & dedit voluntatem, ut rectè velis. Tunc a. rectè vis, cum alacriter & promptè animum voluntatis propenſione ad ea inclinas, quæ pro circumſtantiarum ratione, Cogitare, Velle, Agere debes; & eo modo inclinas, quo debes. Cum judicas te debere, & non vis, eo ipſo agis irrationaliter; quia non facis, quæ facienda eſſe rationaliter judicas. Quare *actus Morales ab illâ Scientiæ & Voluntatis atq; poteſtatis Executricis habitudine, quatenus in ſuâ conformatione Ideam ſapienter agendi, cui Divina voluntas nos conformari vult, reſpiciunt, Specificationem recipiunt.* Et eatenus Morales dicuntur; ſuntq; *Honeſti & Decentes*, cum ei congruunt; *Turpes & illiciti*, cum diſſentiunt.

10. *Ut a. actus circa tale formale obiectum à tali agenti proficiſcens moraliter ſpecificatur: ita & propriam ſpecificationem recipit ab intentione finis ad quem actus ordinatur.* Cum judex ſobrius eſt, ut cauſas cognoſcat, ſobrietatis finem juſtitiæ exercitium facit: cum quis furatur ut ſcortetur, furti finem ſcortationem habet: cum quis infligit vulnera, ut gratis ſpando ſuam liberalitatem exerceat, ei crudelitatis finis liberalitas eſt. In quibus actibus

exparte

exparte agentium duplex habitudo spectanda; altera, quæ objectum respicit; altera, quâ actus ad finem ordinatur.

11. *Ex finis ergo intentione atq; habitudine quatenus circa tale objectum versantur essentialis actuum forma nascitur*; conditiones reliquæ denominationem eis accidentalem præbent; ut furtum noctu commissum: vitium allatum filiæ Regis.

12. *Hinc omnes conditiones ad examen vocanda sunt*, & cujusq; Substantia, Qualitas, Quantitas inquirenda, ut appareat, quæ ei essentialiter vel accidentaliter competant. Nam hinc Intensiones Remissiones, Tarditates, Impetus, Moderationes, Festinationes, manifestæ erunt.

13. *Circumstantiæ non mutant speciem: sed ejus perfectionem vel augent vel minuunt.* Vt actus rectus sit ex scientiâ provenire debet: quare si quæ ignoretur circumstantia, rectus quidem esse potest: sed non perfectè est: & pro circumstantiarum ratione actus vel laudabilior est, vel turpior. Ita major est laus in Italiâ, quam in Laponiâ castum esse, quia hîc non tot sunt irritamenta.

14. *Nonnunquam tamen fit ut circumstantia induat habitudinem objecti, atq; novâ specie actum insigniat.* Sic simplex furtum & sacrilegium

legium; sic scortatio, Adulterium & Sodomia specie distingui putantur.

CAP. XVI.

De Quiete.

1. ACtioni opponitur *Quies*, quæ *est consistentia à motu*, fitq; vel cum aliquid ab actione cessat, vel cum nullo motu agitatum immobile stat.

2. Hæc consistentia pro situs diversitate vel habitudine aliâ variis nominibus insignitur. nam *consistere erectum*, est stare: esse corpore supino, est *cubare*; in loco esse, est *Manere*: ante actum, *otiari*: inter actum, *Respirare, Feriari, Subsistere, Remittere*: post actum *Cessare, Desistere*: sensuum externorum functionem non habere, *Dormire*. Nonnunquam non omnem quies actum excludit, sed violentam tantum jactationem, quo sensu *Tranquillitas* dicitur; estq; status à turbidâ fluctuationis concussione vacuus; sic otia sibi facta Poëta canit, quæ in carmina pangenda insumeret. Et otiari à bello latinis dicitur.

3. *Cum unumquodvis certo fini destinatum sit, hinc nihil ab omni motu penitus quiescit*, sine quo impossibile est, ut ad finem perveniatur

tur (nam venire moveri est) neq; tamen ut perpetuis agitationibus jactetur creatoris sapientia constituit: sed ut variatis vicibus per quietem vires recolligendo res suas adoriantur. Nam ut fossam saltu transmissuri ad aliquod spatium pedes referunt, quo maiori connixu virium se in impetum dent: ita fatigata laboribus cum ad quietem se componunt, vires in unum colligunt atq; alacriori promptitudine in omissum opus insurgunt.

4. *Hæc tamen ratio in illis tantum obtinet quæ motu defatigantur.* Motus n. uti supra dictum spiritus dispergit & per corporum meatus emittit, unde earum imminutio & imbecillitas sequitur. Dum ergo ab actu absistitur coeunt rursum & arctius junguntur atq; membrorum labores benigno succo irrigando sanant. Quod si nulla vires lassitudo adfligeret nullâ quiete opus esset. Hinc Angelicæ mentes sine defatigatione moveri possunt: neq; stellæ, licet corpora sint, illâ circumrotationis perpetuitate fatigatæ quiete detritas revocare vires necesse habent; nisi & ipsas quodam pabulo ali dicas.

5. *Quiete ergo ut Medicinâ utendum ad restaurationem virium.* Non ut jucundius dormiatur vigilandum est: sed dormiendum ut rectè vigiletur. Corrumpit nimia quies, quæ labor

labor & exercitatio conservat. Sic ferrum rubigine obsidetur, quod usu splendescit: sic quæ immotæ fœculentam materiam trahunt, & tetrum accipiunt fœtorem.

6. *Sed nec nimio labore res urgenda est*; concedendum ad respirandum spatium. Respira. Spiritus non quando nihil agit: sed cum seriis ad lusus jucunditatem transfertur.

7. *Res cum finem suum adsecuta est quiescit, non ab actu fruitionis & gaudii: sed tendentiæ*, quia non amplius, ut sic dicam, in viâ, sed in patriâ est. Nititur n. unumquodvis ad præfixam metam, quam cum attigit, figitur eiq; adhæresci iucundissimæ delectationis sensu perfusum.

CAP. XVII.

De Passione.

1. *Passio est motus mobilis.* Actio n. est motus moventis, qui se alii imprimendo illud movet. hunc motum Passionem dicimus. Nam ubi nulla est actio, ibi nec passio est.

2. *Est n. passio perceptio motus à causa agente fluentis:* quare in patiente requiritur receptivitas impressionis, & actualis ejus commotio ab impressione facta. Nam ut lapis ne

luci

lucidissimum quidem colorem videt, quia videndi potentiâ destitutus est: ita cui acies est obtusa non videt colorem tenuem, quia ab ejus impressione non percutitur & pulsatur in motum; sicut neq; ingens saxum seso commovet, cum afflatur.

3. *Imprimit à se unumquodvis pro suâ natura habitudine atq; recipitur pro dispositione recipientis.* Mollia, dura, aspera, levia qualia sunt tali percussione alia pulsant, quæ pulsata impossibile est aliter moveri, quam propria ipsorum habitudo fert. Hinc butyrum à calore liquescit, lutum indurescit: quia illius substantia pinguis & aëria est, & se solvi patitur: hoc a. terrestri crassitie constat, quod evocato humore exsiccatum non potest non indurescere.

4. *Cum motus impressio recipientis habitudini proportionata est, passio grata est; cum disproportionata, ingrata.* Illa *Jucunditas seu Oblectatio* dicitur; hæc *Dolor*. Inter quæ passio intercedit media, quam *Neutram* vocabimus, quia nec oblectationem movet, nec dolorem: ut rerum communiter obviarum visio, auditio, & quæcunq; modo sueto indicata non observantur.

5. *Omnis concussio violenta est à Pressione, Tensione, Divisione,* à quibus omnia dolorum genera

genera existunt. *Premere* est aliquid vi in angustius spatium cogere, quorsum Tundere, Calcare, Illidere: *Extendere* est in spatium amplius diducere, quorsum Torquere, Vellicare: *Dividere* est conjuncta separare, quorsum Lacerare, Pungere, Fodere, Radere, Rodere, Mordere Lancinare pertinet. *Quamvis una alteram inferat; nam cum una parte Premitur quid, Tenditur altera, atq; à suo loco Dividitur.*

6. *Jucunditas* est Passio perfectiva, *Dolor* destructiva: perficit n. quod rei congruit: destruit a. quod naturalem ejus statum immutat.

CAP. XVIII.

De Generalioribus Actionum & Passionum divisionibus.

1. NOn esse Actionem nisi in aliquo ejus præsupponatur receptivitas aliquoties iam demonstravimus; quare *ut unumquodvis tot actionum genera admittere potest, quot receptivum est: sic in universum tot erunt actionum, quot receptivitatum genera.*

2. Non n. plures sunt, ut ut infinities infinitas cogites, reales possibilitates, quàm in divinâ essentiâ actu sunt: ergo etiam non possunt esse plures actus circa possibilia, quàm sunt possibiles.

3

3. Nos hic non singulas differentiarum minutias persequemur, ut quid inter Findere, Trahere, Agere, Pellere, Iacere, Fundere discriminis intercedat ostendamus. Materiales illæ differentiæ sunt, & cuivis obviæ. Sed quæ ex rerum unitarum conditione fluunt, considerabimus.

4. Nimirum quia unum cum altero conjungitur necessario sequitur, esse quandam in rebus *Mutabilitatem*; ob quam una alterius actum recipere potest: & cum manifestum sit, partes gratiâ totius conjungi, cogitatio *Indigentiæ* occurrit: & tot infestis viribus pugnantium conflictus adspiciens *Pugnacitatem* atq; ex hac nascentem *Impedibilitatem* colligo: quâ deinde fit ut *Errori* sit obnoxia. Et quia unum ab altero juvari potest, vel non oppositis viribus permitti, hinc *Juvabilitas* atq; *Permissibilitas* existit.

5. Et hæc quidem ex ipsâ rerum conditione necessariò fluunt, atq; in varias differentias excurrunt, quorum generalia capita, ut melius intelligantur descriptione signabo.

Mutabilitas est qua aliquid potest aliter fieri quam est. *Provenit ab Patibilitate.*

Indigentia est Defectus necessariorum. *Provenit à Partialitate.*

Pugnacitas est inclinatio ad agendum con-

tra aliud. *Provenit à naturarum contrarietate.*

Impedibilitas est quâ alicujus actus inhiberi potest. *Provenit à virium imbecillitate quibus majores opponuntur.*

Errabilitas est quâ quid â debitudine agendi deflectere potest. *quæ & ipsa ab imbecillitate est.*

Juvabilitas est aptitudo recipiendi auxilium. *à cognatione est virium perficientium, & defectu propriarum.*

Permissibilitas quâ aliquid permitti potest. *quæ est à non necessario obsistentium concursu.*

CAP. XIX.

De Mutatione.

SECT. I.

Quotuplex Mutatio. & de Separatione.

1. MUtatio est *facere, ut res sit aliter ac fuit*; ut cum ex frigido fit calidum, ex aspero læve. Supponitur in re aliqua habitudo quæ desinere potest, ut post fit in statu alio. *Variare* est aliam formam dare. per hanc a. variationem res mutatur. *Convertere*

est

et vertere in statum alium. *Vicissitudo* est mutatio per vices.

2. *Est a. Mutatio in Substantiâ, Qualitate, Quantitate, Loco*, posseq; Transubstantiatio, Transqualificatio, Transquantificatio, Translocatio. (si vocum harum barbariem autes puræ sustinerent) dici.

3. *Mutatio in Substantiâ est*, Generatio, Corruptio, Creatio (quamvis dubitari possit, an hæc sit inter mutationes referenda) Annihilatio: *in Qualitate* Alteratio: *in Quantitate* Incrementum, Decrementum: *In Loco* Separatio. Incipiemus ab ultimo, tum quia facilius intelligitur, tum quia reliquis præsupponitur.

4. *Separare est facere ut unita non sint amplius iuncta:* quare iuncta esse debent, quæ solvuntur, antequam in diversis locis statuantur.

5. *Separationis modi sunt*, Amotio simplex, Ruptura, Fractio, Scissio, Punctio, Rosio, Fissio.

6. *Ex quibus quid compositum est, in ea resolvi potest, non alia.* Hinc Logici præcipiunt, *ut Distinctio* (quæ est separatio mentalis) *exhauriat totum divisum*, hoc est, tot ponantur partes, quot in toto sunt (alias n. imperfecta erit distinctio) *ut sit una pars ab altera distincta*, (nam quomodo alias divisio fieret?)

atq; cum toto, cuius partes dicuntur, consentiant: quia dividere in id, quod cum toto non consentit, est tribuere toti partem, quam non habet: ut si dicas arbores quædam sunt materiales, quædam immateriales.

7. *In Separatione occurrunt Declinatio, Partium Discessio, Absentia. Declinatio* est cum compages totius nutare incipit & mimari solutionem. Hanc sequitur *Laxatio* cum vincula partium remittuntur. *Luxatio* est cum partes cohærentes suo loco emotæ sunt.

8. *Discessio est* cum partes soluto vinculo in diversa tendunt: quo pertinent omnes actiones quæ ab loco in locum fiunt, ut Defluere, Aufugere, Abire. *Cedere* est dare locum: *Relinquere* est se abiungere vel corporali præsentiâ, vel præsentem non ferre opem. Idem est Deserere, Deficere, Destituere.

9. *Absentia per discessionem infertur*; hinc distantia, Abalienatio, Amissum esse. Exulare est abesse eiectum è patriâ.

10. *Causæ solutionis sunt* 1. Causa quæcunq; externa; 2. Internum dissidium; 3. Libera unius vel omnium partium voluntas.

SECT.

SECT. II.

De Mutatione in Qualitate & Substantiâ.

11. *Alteratio est Qualitatis mutatio manente subiecti essentiâ*, ut cum ex rudi fit politum, è pulchro deforme.

12. *Alteratio est vel in melius vel deterius. Illa Melioratio* dicitur & Emendatio de quâ infra; hæc vocatur *Deterioratio* quæ est prolapsus è statu perfecto in imperfectum. Dicitur & *Corruptio*, quia rumpitur laceratione fædâ decora rei facies. utriq; respondet *Novatio Innovatio* quæ est actus novam formam introducens.

13. *Corruptionis modi sunt* Deformatio, Languor, Pollutio, Morbus, Putredo, Marcor, Tabes, Rubigo, Situs.

14. *Motus circa substantiam est quoad esse* Creatio, Generatio; *quoad non Esse* Destructio, Annihilatio. Quid sit Creatio & Generatio supra est dictum.

15. Vt quid sit corruptio, intelligatur, observandum quod, cum aliquid corrumpitur, aut nihil ejus remaneat, ut cum domus incendio perit; aut remaneat subjectum formâ tan-

tùm destructâ, ut cum morbus corporis virer & pulchritudinem vastat. Neutrum proprium nomen habet, dicamus illud Abolitionem, hoc Corruptionem.

16. *Abolitio est desitio substantiæ*. quod duppliciter fit. Vel n. res in aliam essentiam transmutata est, quod Transubstantiatio dici potest; vel definit in nihilum, & hoc propriè est Annihilatio.

17. *Variæ sunt vocabula, quibus mutationis species declarantur* sed significatione confusâ, quod ipsum distinctam rei declarationem impedit, ut *Destruere, Consumere, Everter, Demoliri, Delere, Excindere, Obliterare, Eradere, Extirpare, Occidere, Absorbere, Comburere, Extinguere, Abrogare.*

18. *Effectus Abolitionis* sunt Mori, Denasci, Interire, Evanescere.

19. *Principia Mutationis sunt Externum agens*, cum sol calefacit terram: *Interna dispositio*, cum pravi humores morbum pariunt: *Periculum*, ut cum hostis imminet, vel naufragii necessitas.

20. *Periculum est* status rei cui malum è propinquo imminet. Absens n. & remotum malum non adducit statum rei in discrimen; sed quod cervicibus impendere incipit. Unde non terret mortis cogitatio, nisi eam oculis obversantem

versantem habeamus. Sic nimia potentia vicini, aut calliditas, aut dominationis cupiditas alteri periculosa est. Sic incitamenta ad malum peccandi periculo objiciunt. quo sensu *Tutum* est, quod est extra sortem periculi positum; *Securum* a. quod periculi nihil timet.

SECT. III.

De Incrementis & Decrementis.

21. *Augere est Quantitatem rei majorem reddere: Minuere est facere minorem.* Ita vires augentur corroborando; Opes Ditando: Gloria, Magnificando: Vita, Prolongando: Dignitas, Prorogando: Numerus, Multiplicando: Ætas Adolescit: Fama increbrescit: Contra Fama contemmendo Minuitur & Extenuando: Numerus subtrahendo: vires Debilitando: cum Moles sidit Deturgere & Detumescere dicitur.

22. Est a. Mutationis quidam modus; quia quod minuitur aut crescit revera se aliter habet, ac erat antea.

23. *Augmentum infert alicujus Accessionem; Decrementum, Discessionem.* Impossibile n. ut aliquid majus fiat vel minus, nisi accedat aliquid aut dematur. etiam panis vetus

qui

qui figurâ imminutus apparet, contractionem patitur, quia incluſus intra meatus aër cum partibus tenuioribus avolat. Nam cum vacuum non detur, non poteſt aliquares in minus ſe contrahere ſpatium, quod ad formam externam, niſi quæ intra eam fuerint, deceſſerint.

24. *Cæterum, ſi rationem rectè putes, invenies hujus mundi machinam ſine mutua mutatione conſiſtere non poſſe.* Vniuscujuſq; n. activitas in aliud tendit; quare ſi nihil mutari poſſet, neq; ullum Activum eſſet: quare neq, aer neq; terra neq; aqua nec aliud quidvis effici quia nullum eſt Ens omni ſimpliciter Activitate deſtitutum.

25. *Eſt a. ſi rem propius inſpicias, mutatio nihil aliud, quam partium, ut prius locatæ erant, ſeparatio.* Nam quicquid mutatur, per aliquem motum mutatur. Motus a. id quod movet in alium locum pellit: quare nulla fit mutatio niſi rei partes ſuo pulſæ loco in alium ſitum confluant, & novam figuram induant; Maturitas n. pomi nihil eſt aliud, quàm humoris craſſi attenuatio; quod fit, cum calor ſolis penetrat per partes caſq; penetrando ſolvit; quæ a. ſolvuntur in locum alium tranſponuntur. Idem in omnibus Alterationibus obſervare eſt.

26. Ratio eſt, quia res materiales compoſi-

tæ

tæ sunt: compositum a. esse est, taliter positis partibus constare. quæ partes si suis locis ita inæ essent, ut nullo modo dislocari possent, impossibile esset, ut ullum compositum posset dividi: ergo nec variari (nam variare est partes in aliam figuram, in situm alium transponere) ergo neq; mutari: quare mutare est partes localiter separare.

27. *Intensio atq; Remissio* (quæ Incrementi & Decrementi sunt species) *non fiunt uno modo, semper a. fiunt per motum realem partes in alium statum traducentem.* Intensior fit in manu calor, cum plures particulæ calefacientes eam intrant: intensior fit pomi dulcedo, cum succus in minima dividitur: intensior fit hyeme calor ignis, quia circumstantium in aëre vaporum crassities eum in angustum cogunt & effluere prohibent: intenditur agendi habitus, cum multo agendi exercitio spiritus in talem statum disponitur, ut ultrò ad talem actum inclinet. *Quare fit vel novarum partium additione, vel divisione in subtiliora, vel contractione, vel earum tali dispositione & collocatione, ut ad actum producendum ultrò confluant.*

28. *Cæterum illæ mutationum vicissitudines huic universo non dedecori sunt*: quinimo eximiâ varietate commendant. Placuit creator

tori ut senescentia interirent atq; locum & materiam renascentibus præberent. Senii contrahendi necessitas à spiritus perpetuâ jactatione exiſtit, qui in illo æstu pinguedinem vitalem depascendo & ipse consumitur & corpus exsiccatum enervatumq; destituit.

29. *Quare si Creatori placuisset novis subinde viribus reficere res, atq; in locum deperditarum partium supplementum eiusdem habitudinis substituere, perpetuâ inventâ sine vigoris declinatione corpora naturalia virerent florerentq;*: quando eâ firmitate atq; robore condita essent, ut corpora ambientia nullâ afflare noxâ possent: essentq; parata alimenta, quæ naturalis vigoris vim perenni benignitate irrigarent atq; eundem conservarent.

30. *Tale corpus, ut ut ex partibus compositum, & in illa spiritus æstuantis jactatione quærendam partium jacturam, facieus, quamdiu in illo statu manet, incorruptibile est*: quia nec adest causa naturalis externa, quæ ipsius firmitatem labefactare potest; neq; perturbatio humorum intrinseca, tanquam bellum civile, metuenda est. Hujusmodi a. primum hominem, antequam in peccatum lapsus est, fuisse credimus. Quare nihil causæ est, cur eum non immortalem fuisse asseramus; quando nihil fuit quod solutionem mortiferam inferre potuisset.

uisset. Non a. solubile immortale est.

31. *Verum post lapsum vigorem rerum tabes corripuit, ut non tantum mutabiles & fugaces essent: sed & viribus vana atq; amissâ medulla & nucleo solis quisquiliis & vertice horrerent.* Nimirum ut divinæ benedictionis verbum res fœcundâ efficacitate imbuit: ita maledictio exuit viribus, ut nunc in spinas & cardnos aliaq; naturæ monstra, quæ lucem nunquam adspexissent, optima semina degeneraverint.

32. *Vicissitudinis ergo necessitas Principio à creatore institutæ fuit, non fœditas confusionis:* cujus deformitatem natura invita perferre, atq; exerto capite libertatem filiorum Dei expectare Divino Apostolo dicitur; non aliter atq; corpus in alieno elemento detentum contra naturæ instinctum subsistit, donec facultas se recipiendi in proprium centrum data fuerit. *Quò enim res destinata est, eò nutu fertur, atq; conversa & detorta in contrarium, contra nititur, in naturalem statum se recipere desiderans:* quod universa natura ex sui status debitudine deturbata nunc facit.

33. *Quicquid ergo inseparabile est, est & immutabile, & immutabile est incorruptibile & immortale.* Incorruptibile est cujus status sibi semper uniformis est. Nam si divisionem

in

in partes abnuit quomodo variabitur?

34. *Distincta a. sunt incorruptum & incorruptibile*; sicut separatum & inseparabile, non amatum & non amabile. Illud statum declarat, quid res nunc sit, non, quid esse aut non esse possit; hoc verò non tantum quid sit: sed & quid non esse possit. *Incorruptum est* res corruptionis fœditate non tacta. Dicitur & *Inviolatum*, *Illibatum*, *Incontaminatum*, *Purum*. Violare est manus injicere, quarum contactus fœdat.

35. *In spirituales mentes mutabilitatem cadere historia lapsus declarat*: de quibus hoc tantum habemus dicere, quòd sint mutabiles, quomodo sint, ignoramus. Non quod existimem ipsas simpliciter mortales & per causas creatas solubiles in partes esse, ut animalium spirituum in modum dissipentur & evanescant: sed quod ille ipsarum naturalis vigor minui, obtundi, marcescere possit. *Nimirum sicut benigni roris irrigatione res omnes naturales vigent virentq́: à quo destitutæ contracto marcore atq́ tabe fœdæ evadunt & infirmæ: ita quicquid in universum est, à benigno creatoris adspectu spiritum haurit vitalem, cujus vi roboratur, & reficitur atq́ facundâ, ut sic dicam, efficacitate turgescit; abscondente a. ut Psalmista loquitur, faciem conturbantur & recipiente*

Spiritum

Spiritum expirant. Hac n. benigni adſpectus verſione fit, ut Diaboli in imperfectione & miſeriâ ſint.

36. *Cum a. quæ ipſarum ſit ſubſtantia ignoremus, vanâ ſolicitudine inquirimus quomodo illa naturalis vigoris vis atq; præſtantia vi-leſcat?* Majoribus à Deo poſſe exornari dotibus indubium eſt. an ex naturæ propriæ habitudine ita ſubſtantiâ ſint inſolubili, ut nec per divinam potentiam diſſipari poſſint, adeoq; non niſi per ſimplicem annihilationem, quod ſint, deſinere, mihi non conſtat. Interim *quicquid creatum eſt abſolutè mutabile eſt, ſive in melius, ſive in deterius*.

37. *Sed dantur mutabilitatis gradus*, ut alia ſimpliciter mutabilia, fluxa, caduca ſint; alia perenni ejusdem naturæ vigore ſtent: Hæc ſunt vel materialia, vel Immaterialia. Hæc incorruptibilia, & immortalia in reſpectu ad reliqua rectè dicuntur.

38. Inter Materialia alia aliis fugaciora ſunt, prout minori naturæ robore valent. *Vanum eſt quærere cur Deus animalcula ἀμυθέτια condiderit*, eum ſcire non poſſimus, cui ea uſui paraverit. Quidam in ſcenâ pauca admodum loquuntur. neq; certum eſt, an non degenerantis naturæ monſtra ſint, à Deo primitus in theatrũ rerum non prodire juſſa, ut a. in paucarum horarum

horarum oblectationem multis sumptibus excitatum theatrum, siquis eodem die diruí videret, atq; extructionis causam ignoraret, præjudicii temeritate ædificatores stultitiæ damnare posset, suam a. intelligentibus stultitiam proderet: ita modestè procedere nostra ignorantia debet atq; omnia divina opera, tanquam rectè facta admirari.

39. *Nimirum Mentes incorruptibiles & res caducas condidit, quia sic placuit:* placuit, quia sapientiæ eius sic visum est congruum. Et quia sapienter condidit, omnia suo Numero, Mensurâ, Pondere condidit: *quare optima & perfectissima condidit. Non quod melius, si res ipsas spectes, condere non posset: sed quod non possit melius, hoc est, majori artificio atq; sapientiâ; quando quæ fecit sapientissimè fecit.* Quo sensu, ut existimo, scholastici dicunt *Deum posse condere melius Nominaliter*, hoc est, meliorem Rem; *non Adverbialiter*, hoc est meliori modo.

40. Cum Corruptio materialium nihil sit aliud, quàm partium dislocatio, quæ *Accidentalis* dicitur, cùm manente substantiali compage aliquid secundum certarum partium situm mutatur; *Substantialis* cum tota compages solvitur; quis sit in Compositis corruptionis modus intelligi facilè potest, nimirum cùm diversæ

versæ naturæ partes dislocantur; *de simplicibus elementorum corporibus quid dicemus?* Ea esse divisibilia certum est; verum partibus constant uniformibus; quarum quævis aqua, aër, terra est. Divisio a. in partes integrales non solvit essentiam: nam aurum arte chymicâ in minutissimas atomos dissipatum per chartam pellitur & aurum manet. *Quare aqua cum dividitur, in eas partes dividitur, quibus constat. Est a. quævis pars aquæ aqua.* (*de purâ loquor*) *quare impossibile est, ut dividatur in aliud quam in aquam:* cum non sit ex aliis naturis composita in quæ relaberetur. Neq; per rarefactionem potest dici in aliud mutari: nam rarefactio est partium separatio, ut iam corpus aliud intercedat, quæ cum rursum immediato contactu iunguntur eadem illa aqua sunt, quæ fuit, antequam per divisionem in minimos illos vapores dissiparetur. Ergo aqua secundum se est incorruptibilis, hoc est, intransmutabilis. ergo cum in vaporem vertitur non transmutatur in aerem; vt videri possit in sola composita corruptionem propriè competere. Quare Spiritus Animalis si ex oleositate atq; aëriâ tenuitate constat, corruptibilis est, quia illæ partes solubiles sunt; quod si a. est substantia simplex, hoc est, ex diversarum naturarum partibus non composita non magis est corrupti-

bilis

bilis atq; aër. Angelus a. absolute est dicendus incorruptibilis, tum quia vniformi vndiquaq; &, vt sic dicam, similari essentiâ constat; tum quia non secatur in partes integrales; vt aër & aqua; tum quia divinâ constitutione talis est.

40. *Interim propriè solus Deus est immutabilis*, ut cui nihil auferri potest, nihil addi. Cujus essentiâ est puncti indivisibilitas & circuli fine circumferentiâ immensa amplitudo. quam Naturam quàm Vellem ut clariùs intueri daretur!

41. Ex hisce intelligitur *quid sit Necessarium, quid Contingens.* nimirum illud ita est ut tale semper sit: Contingens est quod ita est, ut possit esse aliter. Illius natura fixa est, hoc solutioni obnoxium.

CAP. XX.

De Indigentia Rerum.

1. *Egere est re aliquâ opus habere.* Opus habere est rem non habitam, habere debere; quo ipso supponitur in indigente aliqua Inanitas quæ repleri vult; & aliquid repleréaptum. Nam ubi nulla est receptivitas, ibi nec vacuitas est: nihil a. est receptivum nisi rei proportionatæ; ergo câ solâ opus est: quia

ejus

ejus tantum recipiendæ in agente, ut sic dicam, spatium, est. Homini non sunt destinata cornua, nec manus Elephanti, ergo illis non egent. Quare *à solius Creatoris destinatione petendum quid cuiq; opus sit, ut qui unus perfectè novit, quid cuiq; sit conveniens.* Hoc a. solo est opus, quia hoc solum perficit.

2. *Indigentiæ opponitur* αὐτάρκεια, quæ est status rei necessariorum possessione repletæ, Latinis Sufficientia dicitur. Et *secundum se quidem nulla creatura sibi sufficiens est, tum creaturis respectu sine quo subsistere nequit; tum respectu aliorum, quæ in usum ipsius atq; conservationem destinata sunt*; atq; hac ratione nulla secundum se in statu αὐτάρκειας est, quia propriæ naturæ plenitudine contenta esse nequit: sed *sufficientia Creatorum est*, quando id habent, quod Creator eis destinavit.

3. Nimirum *solus Deus est sibi sufficiens*, quia omnem perfectionis realitatem eminentissima ratione possidet, nihil ab extrinseco, quo sustineatur, trahens; sed in semetipso, quicquid desiderare potest, pleniſſimâ abundantiâ habens; Creatis certum demensum destinavit, quo egent, quia eis destinatum est, atq; in statu sufficientiæ consistunt, cum illo fruuntur.

4. *Hinc Desideriorum diversitas eminet*,

dum unumquodvis innato instinctu fertur ad id, quo eget. Diversa a. diversis egent; auris sono, visus lumine, stomachus cibo, Mens rationalis sapientis contemplationis pabulo.

5. *Cum a. unusquisq; aliorum implorando opem suam Insufficientiam fateatur, atq; pro suo quodam jure sibi succurri postulet, par est, ut eundem se praestet aliis:* quia cum Natura homines æquali libertatis jure finxerit, contra sanæ rationis utiq; dictamen est, plus sibi tribuere aliorumq; officia sibi obstricta esse velle, & tamen eandem juvandi promptitudinem ipsis denegare. *Est n. intimè Menti cujusq; inscriptum; ut, quod sibi ab alio fieri vult, ipsi vicissim faciat; deprehendimusq; singuli talentum nobis instinctum, quo aliorum non desiderium tantùm sed & postulamus, opem indigne ferentes si commodare recusent.* Quod argumento est Creatorē humanam societatem arctissimæ necessitudinis vinculo colligasse, ut intelligerent, neminem sibi natum.

6. *Vanus ergo est quærendi labor qui rebus nullo usu accommodatis impenditur.* Nimirum ita pergradationem procedimus: *Quod non est aptum, eo non est opus: quod alicui non requiritur, id non debetur: quod non debetur, non rectè desideratur* (non debetur tibi honor Magistratus nisi dignus sis) *quod non rectè desideratur*

siderantur, quærere non licet: quod non licet quærere, non recte habetur: quod non recte habetur, non perficit, quia nihil perficit, nisi natura accommodatum. Atq; ex hisce rectitudo desideriorum, quibus indigentia declaratur æstimanda.

CAP. XXI.

De Pugnacitate Rerum.

1. *Pugna est actio inter se mutuo dissentientium.* Dicitur & contentio, quia pugnantes tendunt & distrahunt. Non n. congruunt voluntatum studiis, unde cum in unum conveniunt, dum quodvis rem suo arbitrio gerere molitur, Conflictus necessario existit. Hinc *Collidi, Concurrere, Venire in manus* dicuntur.

2. *Bellum est status concertantium per vim.* Nim. pugna conflictum significat; Bellum dissidentium, quatenus talia sunt, statum; Est n. bellum etiam cum non infestis armis concurritur. Cum una societas in apertos tumultus erumpit, *Seditio*: cum inferiores contra superiores insurgunt, *Rebellio*: Cum unius corporis membra concurrunt, *Bellum Civile & Intestinum*: cum diversæ nationes, *bellum exter-*

num dicitur. Verbis qui pugnant, *Altercantur*, *Rixantur*; qui experiendarum virium causâ, *Luctantur*: qui æmulationis studio, *Certant*: qui animis infestis, *Præliantur*: qui alterius vires frangendi animo, *Impugnant*; quod si verbis fit *Confutare* & *Refellere* est. *Persequi* est hostiliter insequi ut malum inferatur. *Insidiæ* sunt actus, quibus alteri malum struitur.

3. *Pugna præsupponit hostilitatem quod est ex dissensione inclinationum ortum odium*; ut inter calorem et frigus.

4. *Finis Pugnæ est Victoria*, quæ est status pugnantium, cum prælio tandem alteri superius est.

5. *Belli causa est illatum alteri malum.* Bellum n. nascitur non quia voluntates contrariæ sunt: sed quia contrariis motibus inter se concurrunt. Etiam inter hominem cum bellum ob nondum factam injuriam suscipitur, respicitur malum aliquod tanquam ferendum. atq; hinc inter similes exoritur bellum, non quia sunt similes: sed quia unus alteri nocet; nocetur a. interdum agendo similia, ut cum plures figuli ollas conficiunt & vendunt. Perit n. lucrum quod alteri acquiritur. Atq; sic vitem odisse brassicam vulgò dicunt, quia ad ipsam consita non provenit; cujus causa est, quod

brassica

brassica alimentum ipsi præripit. Vnde *Vindicta & ultio est illatio mali propter factum malum.*

6. *Pugnantium quædam Reconciliabilia sunt, quædam non.* Illa sunt, quæ reduci in consensum possunt; hæc sunt quæ totis naturis dissident, ut calor & frigus; Ille n. diffundit, hoc constringit; ut ergo impossibile est, ut aliquod simul & ascendat & descendat, simul atq; eodem momento indextram & sinistram vertatur, ita una eademq; res non potest simul summè calere & intensissimo frigore rigere. Huc ἀντιπάθειαι rerum pertinent, quæ ex particularibus conformationibus procedunt, quarum una cum alterâ non consistit.

7. *Modus reconciliandi est, Tollere dissimilitudinem, reducere in consensum.* Lupus n. ovino lacte nutritus hostilitatem deponit: & familiarius tractando Leonis ferocia mitigatur. Non est reconciliatio cum alterius hostilitas opprimitur tantùm & vi continetur: crescunt n. lento progressu odia iræq; atq; tandem erumpunt. neq; pugnando fessa conciliata sunt, nisi positis odiis; ut in Gallis Gallinaceis videtur.

8. Ne a. res cuicunq; opportunæ injuriæ essent, creatoris sapientia accommodata arma tribuit, quibus inimicam vim seu propulsarent seu sine noxâ impetum irruentium excipe-

rent: quin & pedum alarumq; celeritate quadam animalia donavit, ut sibi fugâ consolerent.

CAP. XXII.

De Impedimentis.

1. *Impedire est ne aliquid fieri possit efficere.* Ut tricarum nexu implicatis pedibus progrediendi actus sistitur: ita in universum actionum cursus progredi non valet, cum aliquid ejus, ut sic dicam, pedibus se innectit. Hinc impedimentum dicitur. Quare *duo requiruntur, Unum quod rei agendæ intentionem habet; Alterum quod se opponit, ut fieri neget.* Hinc obstaculum, quod obstat.

2. Impedimentum tenet se vel *ex parte Agentis, vel Medii, vel Objecti.*

3. *Ex parte Agentis in Scire* est ignorantia, Præjudicium, Error: *in Voluntate* rei agendæ odium & contrarii amor: *in Potentia* disproportio & imbecillitas, vel externa constrictio. *Nam quod impedire debet impediendâ re debet esse fortius;* non retinet puer ferocem equum, nec aquæ cursum ager sistit, nisi firmus.

4. *Ex parte medii impedimentum ponitur,*

ve

vel quia omnes aditus simpliciter abscissi sunt; vel quia per temporis opportunitatem non licet; aut si ratione Quantitatis medium angustum nimis est; vel ratione Qualitatis se non debitè habeat.

5. *Ex parte objecti impedimentum est*, cum vel propriis viribus impediente est superius; vel alius circumsepit; cum removetur; cum non debitâ morâ obvertitur; nam titio in gyrum actus videtur ignitum circulum facere, motus celeritate visum impediente ut non rectè videat.

6. *Impedimentum vel est Reale* ut cum ager aquam continet; vel *Morale*, ut lex, Interdictum; vel *defectus cujuscunq; conditionis ad agendum requisitæ*, quod ex superioribus intelligi potest. Sic æger impeditur ab itinere.

7. *Vocabula Impedimentum declarantia sunt* Detinere, Intercedere, Perturbare, Arcere, Avertere, Prohibere, Interpellare, Interrumpere, Obstruere, Coercere; *Instrumenta sunt* Carcer, Compedes.

8. *Adversus quod nulla vis valet, Irresistibile Insuperabile, Incaptivabile est.* Irresistibile cui nullo opponi impedimento potest. *Resistentia* 9. *est* interdum actus alteri impressus, ut cui quis progredientem vi retro trudit, & *Contra actio* seu *Reactio* dicitur; interdum est nuda, ut sic dicam,

cam, sistentia, cum materialis aliqua duritiei & firmitas objicitur. Sic agger aquæ fluxum, puries pilam sistit. Illud proprie *Repugnantia* est; hoc *nuda obsistentia*.

9. *Insuperabile est* quod alteri in conflictu pugnæ subjici non potest. Cui vincibile opponitur. Quo absolutè nullum est potentius absolutè insuperabile est, reliqua sunt invicta, quatenus difficulter viribus franguntur. Cum quis est victus sequitur respectus victoriæ, quo intelligitur victus subjectus victori. Victus interdum capitur.

10. *Captivare est invitum Capere & adempto libere agendi jure detinere*. Vnde in genere Captivum dicitur, *Quicquid pro sua natura habitudine se non valet exerere externi circumstantiæ vi inhibitum*. Incaptivabile est quod capi nequit. Fluit a. unum ex altero: nam cui resisti non potest, invincibile est, & hoc nequit captivari.

11. *Voces subjectionem declarantes sunt* Subjicere, Subdere, Domare, Expugnare, Refrenare. *Cujus effectus* est Subesse, Succumbere, & si fiat Prælio, clades.

12. *Nec Natura neq; sapientes suos semper fines adsequuntur*; quia utriq; superiores habent, quorum vi conatus ipsorum sistuntur. Hinc n. naturæ monstra, & consiliorum humanorum

norum fruſtrationes exiſtunt, quando cauſæ ali-enæ ſe operi admiſcendo agentium debita miniſteria turbant, & ſuperior vis callide eludit excogitata molimina. Et in hujuſmodi Agentia Fortuna & Caſus jus habent.

13. *Licet cuivis atq; decet ſua quærere, & objecta avertere impedimenta; verum non cum alieni juris impedimento.* Scitè Chryſippus: *qui ſtadium*, inquit, *Currit, eniti & contendere debet quam maxime poſſit, ut vincat: ſupplantare eum, qui cum certet aut manu depellere, nullo modo debet. Sic in vita ſibi quemq; petere, quod pertineat ad uſum, non inquum eſt, alteri furripere, jus non eſt.* Cic. off. lib. III.

CAP. XXIII.

De Errore & Recte-facto.

1. *Error eſt actus à ſuâ rectitudine recedens.* Rectefactum eſt aliquid ſuæ Ideæ conforme. Significant tam effectionem quam opus ſeu effectum. Error peregrina lineamenta rei imagini infert, recte factum ſuis eam coloribus atq; ductibus effigiat.

2. *Errandi cauſa eſt Activitatis finitas.* Finitum n. quod eſt, pertranſiri poteſt, ut tandem ad extremum veniatur, unde datur præ-

cipitium.

cipitium. Non titubaret puer incedendo, vacillaretq; si justas vires haberet: non pingeret deformes literas invita manus, si ejus regendæ satis scientiæ atq; facultatis esset: non exardesceret improbo desiderio voluntas, si plenè persuasa esset, afferre noxam quod cupit: non insultaret supremo Domino agendi libertas atq; ab obsequii necessitate soluta esse vellet, nisi potestas ejus circumscripta esset.

3. *Quare quia res finita est, erroris obnoxia est:* solus Deus ab ejus necessitate est liber; quia in suæ perfectionis infinitate ubiq; æquilibrio se tenet, atq; ipsa essentialis rectitudo est, nihil obtorti habens, nihil obliqui, ut nusquam excidere possit.

4. *Quicquid a. defectibile est, est & periculo errandi secundum se obnoxium;* omnis a. res est defectibilis eo ipso, quod finita est: quare & labilis. Ergo ut à lapsu immunis sit, sustentanda ab externo est; sicut sulcro firmatur domus & à casu prohibetur, per se ad casum prona.

5. *Illa a. pronitas non est aliquis natura inditus instinctus:* sed quædam quasi lubricitas, quæ in extremo constituta inclinare se in casum potest, vel incitata trahi ab alio. Vt tremula manus præ virium imbecillitate non vertitur in eam partem, in quam impellitur, sed

quo

quo pondus trahit: ita creatorum flexibili lubricitate fit, ut in incedendo hæreant vacillent, concidant; quia non satis virium ad omnes difficultatum montes superandos habent; quibus sola infinita vis coæquatur. Dei ergo potestate fit ut à casu prohibeantur, cum extra errandi periculum statuta sunt.

6. *Error in intellectu dicitur* Hallucinatio, & significato contractiori Error: *Involuntate* Peccatum, Pravitas, indecens Desiderium, seu Concupiscentia: *in Posse*, Delictum, Monstrum, Abortus, Scelus, Flagitium, Menda. *Error intellectus* cum non propriam rei formam apprehendit: *voluntas* cum desiderio illicito exardescit, vel in indebitum objectum tendo vel modo indebito: *Potentia exsecutrix* quando non debito objecto admovetur, vel modo indebito. Dicitur & Exorbitatio, Enormitas, Deviatio.

7. *Error est Naturæ, vel Artis, vel Moris.* Error Naturæ est cum effectus naturalis suæ Ideæ non respondet. & est vel Abortus, cùm fœtus immaturus protruditur; vel monstrum, cum vel ob nimiam materiæ copiam, vel justo minorem Quantitatem, vel aliud quodcumq; impedimentum fœtus plurium membrorum additione aut defectu debitorum, vel indebitâ eorum efformatione monstrosus fit.

8.

8. *Error Artis est* agentis ratione prædita indebita forma in materiam introducta; vel, si nullus effectus relinquitur, actus indebitus, ut Cytharizatio, saltatio inepta.

9. *Error moris est cum Agens rationale illud suum scire, velle, posse non rationaliter applicat.* Nimirum ut homo canem vel ursum procreans errorem admittit naturæ; quia illo producendis non est destinatus: ita quando in actibus ab ejus arbitrio provenientibus, quorum propterea Dominus esse debet, non conformatur illi legi, quam in ejus animo Creator descripsit, erratum moris admittit; quasi contra consuetudinem agentis rationalis esset, irrationaliter agere.

10. *Ut a. actus moralis rectus sit* scientia debet singula momenta perpendere & actum rectè agendi Ideæ exactè conformare: voluntas recta, eò quod recta sunt, ardenter amplecti & ad supremi Numinis referre gloriam, atq; Facultas quæ à voluntate præcipiuntur, promptè exequi. Nam *ipsa rectè agendi Lex, in animo cujusq; descripta, dictat, hæc ab unaquaq; potentiâ requiri; quia nõ ut in operibus artis, sic in actibus Moralibus, quando de illis ferendum judicium est, in solam externam operis formam respiciendum.* Non ducitur laudi agenti etsi bonum actum edat, si non bene: neq; tibi placet

ret donum animo maligno oblatum; neq; filii obsequium approbas, quod invitus & ingemiscens præstat.

11. Significato specialiori Naturæ errores Monstra: Artis, Depravationes, Corruptiones: Moris, peccata, Transgressiones; quæ si gravia sunt, Scelera & Flagitia vocantur.

12. Ex errore moris nascitur *Culpa*, *Macula*, *Reatus*.

13. *Culpa est meritum agentis, quo reprobatione dignus judicatur. Reprobare* est non probare seu judicare aliquid non esse rectè factum. Quod meritum ex indecenti actu fluit, aut debiti actus omissione.

14. *Macula est habitudo Agentis indecens ex culpæ merito ei adhærescens.* Trahit n. culpa maculam, sicut prolapsio in lutum sordibus inquinat: harmoniam n. & integritatem tollit; unde & *Turpitudo*, *Labes*, *Impuritas* dicitur.

15. *Reatus est ad pœnam obligatio.* Hic ex superioribus sequitur. Nam si actus pravus culpam contrahit, contrahit & dignitatem ad subeundam pœnam, quæ dignitas ex culpâ provenit. Fieri n. non potest, ut aliquid in crimine ponas (hoc est culpam esse dicas) nisi improbes. Improbatio a. declarat actum condemnatorio judicio esse obnoxium: quod secundum meriti atq; maculæ magnitudinem pro-

pronuntiari debet, justâ proportione servatâ, ne æstimium merito sit gravius vel levius. Qui culpam contraxit Sontem dicimus.

16. *Pœna a. est malum passionis propter malum actionis*; vel si omissionem complecti vis, *est malum passionis propter indebitam agentis habitudinem.*

17. *Actiones circa culpam sunt* Reprehensio, Conquestio, Accusatio, Deprecatio, Excusatio, Condemnatio, Condonatio, Absolutio, Expiatio.

18. In Recte facto est *Integritas, Innocentia, Approbabilitas.* Nam ut culpa crimen habet, sic rectè factum sua Integritate est eximium, suo pondere dignum æstimium promerens: & ut illud maculâ contaminat, sic hoc Innocentiâ purum sanctumq; est. Purum n. est nullâ noxâ fœdum; unde dignum honore, ficut male factum pœnâ, æstimatur. Vt a. variæ pœnarum formæ atq; nomina, sic & honorum sunt.

19. *Quod Errare potest, seduci potest. Seductio* est abductio in viam falsam; quod fit vel falsam opinionem ingenerando, vel subdendo stimulos voluntati ut extra judicium impetu in actum ferantur. Hinc *Fallacia est species in errorem ducere aptæ. Decipere* est ita agere, ut alter opinione conceptâ erret. Idem dolus & fraus

frans declarant, quæ pro materiæ conditione liciti & illiciti sunt.

CAP. XXIV.

De Auxiliis.

1. *Auxilium est sublevatio alterius.* Levare est tollere in altum. Hinc sublevare est erigere dejectum opitq; indigum, ut stare possit, aut eundo firmare gressus. Nam quod proprio robore satis valet, alieno nihil opus habet: & quod in eum statum redactum est, ut reduci nequeat, auxiliatricem manum respuit.

2. *Auxilio Applicatio fit dupliciter;* Vel naturam ejus, qui sublevandus est, viribus conjungitur, sic militesubsidio venientes juvant; vel solum auxilium producit effectum, ut cùm quis ex aquâ extrahitur. prius auxilii genus supponit aliquod robur iners quod juvatur; posterius supponit aptitudinem ut ei applicari queat.

3. *Est a. pro potentiarum diversitate auxilium multiplex;* Scire juvatur docendo: Voluntas incitando: Potentia Corroborando.

4. *Auxiliorum modi ad tres generales videntur reduci posse,* Conservationem, Emendationem,

dationem, Liberationem. Res n. integra suam integritatem Conservare vult; cum prolapsa in deterius est, in statum pristinum vult restitui; atq; adseri in Libertatem, quando ab alienâ vi premitur.

5. *Conservare est facere ut res porro sit, quod est*, ubi, sicut in omnibus actionibus, objectum habile requiritur. Non n. somnus pyxidi inclusus servatur.

6. *Conservationis varii modi hisce vocabulis exprimuntur*, Adservare, Custodire, Firmare, Munire, Fovere, Regere, Protegere, Vallare: quo omnis generis præsidia pertinent.

7. *Emendatio est rei corruptæ reparatio. Parare* est facere ut aliquid sit; *Reparare* efficere ut in statum debitum reducatur. Nam ut illud, quod nondum est nequit reparari: ita neq; quod nullo defectu laborat.

8. *Modi sunt*, Instaurare Educare, Excolere, Reformare, Resarcire, Recreare, Renovare, Mederi, Reconcinnare, Solari.

9. *Liberare est amovere ab aliquo malum.* Dicitur & Redimere q. rursus emere, ut liberum sit. Quicquid ab alio contra suam inclinationem premitur, suæ naturæ convenienter agere nequit. hoc a. ei est malum, quia fine suo excidit. Hinc Liberare est auferre, quæ circum-

circumstant impedimenta, atq; libertati agendi reddere. quare ut ligari nisi ligabile nequit: ita neq; potest solvi & adsteri in libertatem, quod incommodo nullo correptum est.

10. *Alia liberatio fit interveniente solutione*, cuius pretium λύτρον, ἀντίλυτρον Græci vocant, ut cum captivus pecunia redimitur; *alia fit sine pretio*, cum dimittitur ex gratiâ; pertinentq; huc in universum illa media, quibus aliquid in statum suum restituitur. Nam Erudire est à ruditate liberare. Salvare à periculis. Eluctari inter prementia mala emergere, &c.

11. *Quicquid est, ut debet, id esse vult: & quicquid est tale naturaliter, naturali instinctu tale esse vult: et quod naturali instinctu tale esse vult, talis sui esse statum conservare vult.* Corruptionis argumentum est, cum non esse vult, aut eum vult esse aliud. Naturali instinctu id tantum quodvis vult, quod debet; quia quò res destinata est, ad id contendendi instinctum accepit. Omnis ergo res, ut à creatore est, à non esse horret, & sui conservandi studio tenetur.

12. Hinc *quicquid aliquid ex proprio naturæ instinctu facit, id sui Amore facit.* Est n. *instinctus ille naturæ nutus quo quid Creatoris destinatione ad certam actionis formam conversum ascommodatumq; respicit, atq;, cum ad agendum excitatur, prono interni ponderis impetu*

fertur; ſicut aër proprii ponderis inclinatione ſurſum tendit. Quod a. ſic tendit, tendere vult, quia ſe jucundè affici ſentit. Afficitur a. jucundè, quia talis eſt inter propriam habitudinem & rem afficientem proportio. jam vero nihil eſt, quod nolit jucundè affici (quia unumquodvis ſe amat) neq; jucundè afficitur quicquam niſi à re congruente. Vult ergo ab eâ affici quia ſibi congruit: quare vult eam quâ congruentem: ergo ſui cauſâ vult atq; amplectitur, quia ſi non eſſet congruens non amplecteretur. Quia ergo unaqnævis res vult talè eſſe, quod eſt, atq; illis inſtinctibus ferri, quos in ſe ſentit (quibus n. poſſet velle aliis cum talios non habeat?) ſequitur, quod ſe ipſam talem eſſe amet gaudeatq; ſuæ naturæ convenienter affici. Amat ergo jucundè affici, quia amat ſeipſam taliter affectam. Ergo cum naturali inſtinctu ad aliud fertur, ſui cauſâ & amore fertur, quia vult tale eſſe ſuum in ſe conſervare quale habet. Hoc v. tale eſt & taliter formatum, ut eó feratur. Amor ergo ſui & eſſe proprii conſervatio cauſa eſt, cur reliqua amentur vel habeantur odio. Hinc n. fit ut quidam à læmmis abhorreant, alii earum amore inflammant, nonnulli canes ad venandum ament, alii libris immori velint, alii Baccho atq; Cereri ſacra facere. *Vnuſquiſq; n. in ſe ipſo deprehendit,*

à

à quibus jucundè afficiatur; & quia naturæ suæ convenienter vivere omnes volunt, & illo statu conservari: hinc sui causâ alia amant, quia sibi accommodata sunt; ab aliis a. abalienantur odio, quia natu. æ quadam aptitudine instincti ad ea non inclinantur: & quia eo non inclinantur, non jucundè afficiunt: sed motum imprimunt inconvenientem. Hinc abhorrentur.

13. Cum ergo Creatoris sapientia cujusq; statui expedientia prospexerit, atq; insito instinctu ad ea inclinaverit; hinc *sui conservandi studio singula teneri, se fundare, mala impendentia prævertere, incumbentia amonere, se suáq; Emendare, Ornare, Augere, Defendere, Recuperare, deniq; nihil intactum omittere, quod è re est.*

14. Quia v. cujusq; salus ab eis, quæ saluti ejus destinata sunt, dependet, *recta ratio non nostram tantum vitam conservare jubet, sed & nostra.* Hinc fit ut communi instinctu non minus pro illis, quam suis corporibus humanum genus pugnet.

15. Et quia homo ut vitam servet, merces in mare abjicit: ne capite ictum excipiat manum objicit; hinc patet *necessariorum potiorem rationem habendam esse, faciendamq; reliquorum jacturam, si aliter illorum salus in tuto esse nequeat.* Nam ut servetur totum partem ab-

scindendam esse, si ei aliter consuli non potest, omnes consensu admittunt.

16. *Interim res conservandæ emendandæq; nimiâ molestaq; industriâ affligi non debent.* Præstat levius malum tolerare, quam ut movendo irritetur secumq; partium aliarum ruinam trahat. Qui omnia è cultro vulnera amovere curiosiùs student, plura inducunt, dum in nimiam acutiem extenuando ferrum fragile reddunt.

CAP. XXV.

De Permissione.

1. *Permittere est, ut aliquid fiat non impedire.* Vbi requiritur actus impedibilis potentiæ impedienti objectus, atq. intercedens inter utrumq; talis respectus; quo actus suum habere progressum intelligitur, quia hæc nullum obstaculum opponit. Nam ut sol hæc inferiora illustret Tu non permittes, quia impediendi potestatem non habes: neq; permittis Turcæ, ut bellum adversus venetos moveat. nimirum res permissa à tuis viribus & voluntate suspensa te ita respicere debet, ut in te causa refundatur cur fiat: non futura, si tibi placeret obsistere.

2. *Res permissa aut est Turpis*, ut cum lupanaria permittuntur; *aut Honesta*, cum parentes incundi matrimonii liberis potestatem faciunt: *vel medii status*, cum discipulo ambulandi venia conceditur, avis exire è cavea permittitur.

3. *Hinc ipsi etiam permissionis actus pro permissa rei diversitate, atq; intentione permittentis varii sunt.* Sunt quæ ingenti vi incumbentia urgent & permittendi potestatem invito extorquent: sunt quæ impediri quidem possent, si vis adhiberetur, permittuntur tamen, sive ne prohibendi labor qui sæpius irritus accidit, negotium faceſſat, sive quia inde speratur utilitas. ubi rursus vel conniventes claudit oculos, qui permittit, vel severâ lege prohibet, non adhibitâ tamen omni vi, quâ absistere à re prohibitâ cogi dicto non audientes possent; vel certis limitibus, quousq, liceat progredi, circumscribit, sine tamen approbatione actus: est deniq, permissio, quæ certum agendi ius concedit. *Primo modo* cum prohiberi nequit hostis irrumpere in castra permittitur: *ut effugiatur prohibendi tædium* militibus agendæ de sociorum agris prædæ licentia fit: *utilitatis causâ* Iudæi tolerãtur, quos aliàs expellerent: *Conniventi oculo atq; voluntario silentio* parentes liberis flagitia permittunt; *vel in-*

terdicunt, neq; tamen omni vi retrahunt: *Lupanaria atq; usuras* injustas permittunt nonnulli; tum ut singulorum usui consulant, ne graviori adulterii vel fraudis atq; furti crimine se obstringere necesse habeant; tum ut ipsi aliquid capiant lucri, cum corpore quæstum quærentes pro merendi licentiâ pecuniam pendunt: *Deniq;* liberum mercimoniorum jus Hollandis Rex Angliæ concedit, cum ei sua distrahendi potestatem facit atq; ab injuria tuetur.

4. *Cum autem nemo permittere possit quod in sua potestate non est, patet permissionem injustam esse, quæ in alterius iuris præjudicium fit.* Nam cùm non liceat tibi meum jus violare, quomodo aliis concedere violandi licentiam potes? quare ut permissio recta sit, considerandum est, an permittendi jus habeat qui permittit: quia licet opus permissum in se nullum crimen habeat, arrogatio tamen iuris permittendi illegitima est; ut si quis servum alienum, relicto opere, ambulatione se recreare, aut frequentare concionem iubeat.

5. *Hinc sequitur cùm Deus nulli licentiam peccandi faceris, nullo pretextu iuris concedi illicitè agendi potestatem posse, licèt, qui permittit, actum permissum non approbet.* Non n. quod approbas vel non approbas illicitè permittis

mittis; sed quia permittendi nullam facultatem habes. Loquor de expressâ concessione impunitatis quæ ita exprimi potest: Do tibi jurandi, mentiendi, furandi, quantum in me est, potestatem atq; à pœnâ libero quando aliter seu vitam tolerare non potes, seu ferventis spiritus æstum extinguere.

6. *Peccat permittendo qui scit, debet, potest impedire, nec tamen vult.* Nam qui nescit, non valet permittere: qui non debet, licèt possit impedire, non impediendo crimen non contrahit; sicut æq; ille qui impediendi potestate destitutus est, licet pro ratione officii impedire teneatur. Ita capitaneus Anglicanus Hollandos in Galliam infestis copiis irruere videns, quamvis prohibere posset nullo ex omissione prohibitionis crimine obstringitur; obstringitur a. Capitaneus Gallicanus, si non obsisteret, cum posset.

7. Est ergo *Permissio Negativa, & Positiva, atq; Mixta* sive inter utramq; intermedia. *Prima* est Conniventia, cum quid non prohibetur: *Secunda* est concessio facultatis ut liceat agere: *Tertia* est quæ cum rerum circumstantiæ ita exigant, connivendi necessitatem certis legibus circumscribit, ne agendi libido sine fine agere permittatur. Sic tolerantur injusti fœneratores, Hæretici, & aliud hominum noxiorum

noxiorum genus non nudâ conniventiâ: sed certis conditionibus, quibus tolerantia illa circumscribitur.

8. *Voces quæ permissionem declarant, significant vel remotionem impedimenti, vel non positionem. Removetur impedimentum* cùm conceditur potestas, cùm datur venia seu licentia, cùm indulgetur privilegium: *Non ponitur impedimentum*, cùm simulatur, Connivetur; quod est actus videntis, talem se tamen gerentis, ac si non videret. *Tolerantia* ex utroq; interdum aliquid ponit, dum non ponitur impedimentum; & simul removetur, expresso sive tacito consensu alicui facto annuendo.

FINIS.

INDEX.

Abludere. 197.
Abundans. 212.
Abusus. 181.
Accidens. 51.
Accidentale. 76.
Accipere. 178.
Acquirere. 178.
Actio. 261.
Activitas. 81.
Activa potentia. 92.
Actualiter. 231
Adæquate. 167.
Adjunctum. 207.
Adumbrare. 198.
Æmulari. 198.
Æqualitas. 68.
Æternitas. 143.
Ævum. 143.
Affectatum. 21. 198.
Affectio. 49.
Afficere. 263.
Alacritas. 113.
Alienum. 173.
Aliud. 199.
Alludere. 197.
Alterativa. 293.
Amicitia. 201.
Amittere. 176.
Ardua. 273.
Arrogare. 178.
Attendere. 233.
Augmentum. 295.
Auxilium. 319.

B.

Beatitudo. 148. 229
Bellum. 307.
Bonum. 28.
Bonum sui Communicativum. 73.

C.

Calor. 84.
Capacitas. 210.
Captivare. 312.

Casus. 258.
Causa. 224.
Cognatio. 200.
Color. 87.
Communio. 217.
Communicatio. 244.
Communicabilitas 70.
Communitas. 156.
Complexus. 164.
Conditio. 168. 268.
Confusio. 193.
Concordia. 201.
Consanguinitas. 200.
Consensus. 201.
Consequi. 179.
Conservatio. 318.
Consuetudo. 103.
Cotingentia. 169. 304
Contractus. 218.
Contradictoria. 202.
Contraria. 202.
Corpus. 40.
Corruptio. 293.
Creatio. 267.
Culpa. 317.

D.

Damnum. 129.
Dare. 180.
Debitudo. 9.
Defectus. 149.
Demensum. 211.
Dependentia. 188.
Dignitas. 63. 65.
Dirigere. 238.
Dispositio. 104.
Disproportio. 201.
Dissensus. 201.
Dissimilare. 158.
Dissimilitudo. 197. 198.
Distantia. 136. 199.
Distinctio. 199.
Diversum. 37. 199.
Dolor. 287.
Dominium. 11. 173. 191.
Duratio. 139.

E.

Effectus. 258.
Electio. 230.
Elementum. 149.
Emen-

Emendatio. 320
Ens. 15.
Ἔνστ. 274.
Essentia. 16.
Essentiale. 76.
Error. 313.
Ἔνθεος. 136.
Eventus. 277
Excellentia. 65.
Exemplar } 197.
Exemplum }
Existentia. 16.

F.

Fabricatio. 267.
Fœcunditas. 119.
Fallacia. 318
Falsum. 28.
Fames. 211.
Fatum. 256.
Felicitas. 148.
Finis. 226.
Firmitas. 83.
Formatio. 267
Forma. 249.
Formatio. 267.
Fortuna. 258.
Fruitio. 181.
Fulcrum. 208.
Fundamentum. 209.

G.

Generatio. 267.
Genus. 34.
Gloria. 60.
Gradatio. 67.
Gravitas. 58.65.

H.

Habere. 170.
Habilitas. 8.
Habitus. 104.
Herere. 163.
Harmonia. 201.

I.

Idea. 6.
Idem. 37.
Illibatum. 159.
Imago. 197.
Imitari. 198.
Imitatrix vis. 107.

Immateriale. 29. 43. 50.
Immaturitas. 153.
Immediate. 167.
Imparia. 69.
Impedimentum. 311.
Impossibile 264.
Inadaquatè 167.
Inaqualitas 68.
Incommunicabile 73.
Indigentia 8. 304.
Individuationis princ. 36.
Independens 189.
Indifferentia 156.
Inepta 272.
Infelicitas 154.
Inferioritas 190.
Innatum 19.
Instinctus 19.
Instigare 216.
Instrumentum 246.
Insufficientia 154.
Intempestivum 277.
Intensio 55. 293.
Intentio 230.
Invenire 178.
Inventio 179.
Invitum 97.
Inutile 124.
Jocari 273.
Jucunditas 287.
Jus 11.
Jus creatum 195.

L

Levitas 51.
Libertas 310.
Liberum 13. 97. 176. 192.
Locus 131.
Lucrum 139.
Ludicrum 273.

M.

Macula 317.
Majestas 65.
Malum 29.
Manere 138.
Marcor 115.
Maturitas 148.
Massa } 349.
Materia }
Materiale 30.

Maximum 67.
Medium 226.
Mediate 167.
Meritum 63.
Miraculum 226.
Miseria 254.
Moles 58.
Monstrum 153
Mors 241.
Mortalitas 281.
Morbus 254.
Mundus 249.
Mutatio 290.

N.

Natura 16.
Naturale 96.
Necessitas 169. 304.
Nihil 22.
Nimium 212.
Nobilitas 65.
Non Ens 22.
Nomen 141.
Nozium 224.

O.

Obligatio 31.
Obsequi 192. 242.
Occasio 276.
Officium 11. 13.
Oppositio 201.
Ordinarium 259.
Ordo 186.
Ornamentum 145.

P.

Poena 318.
Palpo 274.
Panis 69.
Pars 157.
Participare 245.
Partum 212.
Passio 286.
Patibilitas 120.
Pendere 163.
Per se 167.
Per Accidens 247.
Peregrinitas 200.
Periculum 294.
Permissio 324.
Pondus 58.

Possessio 172.
Possibile 264.
Potentia 92.
Praparatio 266.
Pretium 60.
Principalis causa 246.
Principaliter 167.
Principium 243.
Prioritas 187.
Priuatio 150.
Priuatum 172.
Priuativa oppositi. 202
Producere 243.
Propartio 201.
Propria 49. 170.
Propria an communic. 220.
Prosperitas 216.
Publicum 172.
Pugnacitas 307.

Q.

Quærere 178.
Qualitas 46.
Quantitas 54.
Quies 284

R.

Reatus 317.
Rectitudo 16.
Regula 239.
Reconciliare 309.
Relinquere 176
Remissio 55. 297.
Renuntiare 177.
Representare 197.
Repugnantia 201.
Resistentia 311.
Respectus 196.

S.

Sanitas 148.
Satietas 210.
Semen 249
Sensibilitas 82. 85.
Seria 273.
Servitus 193.
Similare 158.
Similitudo 197.
Simplex 41.
Simpliciter secundum quid 168.
Singulare 33.

Singula-

Singularitas 204.
Sociabilitas 74.
Sonus 88.
Species 34.
Specificatio 278.
Spiritus 141.
Spontaneum 95.
Stabilire 206.
Status 49.
subjectum 207.
Subordinatio 188.
subsistentia 45. 46.
Substantia 39.
successus 277.
sufficientia 148. 305.
supernaturale. 248. 260.

T.

Tarditas 114.
Temeritas 232.
Tempus 139.
Terminus { a Quo / ad quem } 268.
Torpor 114.
Totum 157.
Tradere 176.

V.

Vacuum 137.
Valor 60.
Vana 272.
Varium 199.
Verum 26.
Vetus 141.
Via 137.
Vigor 113.
Vilitas 60. 65.
Vinculum 163.
Vindicare 178.
Violentum 96.
Virtualiter 231.
Vita 116.
Unio 163.
Universale 33.
Universalis causa 246.
Unum 26.
Usus 180.
Utilitas 123.

FINIS.

INDEX

Lib. Bibl. Bodleianæ
ex dono R. Boyle
(Comitis Corcagiæ
filij) Editum /
Mob. XVIII. CIↃ. IↃC LIX.